XII. PRÆIVDICIA ET RESPONSA

LVTHERANORVM ET CALVINISTARVM

DE BONORVM ECCLESIASTICORVM, A PROTESTANTIBVS FACTA INVASIONE, Occupatione, Direptione ac Prophanatione, deq; eorundem facienda Restitutione.

QVIBVS ANNEXA EST EPISTOLA MARCI AVRELII IMPERATORIS AD REGEM SICILIÆ SCRIPTA.


Boni publici causâ collecta & coniunctim edita,

Operâ & studio

HELFRICI-VLRICI HVNNII ICti.

ex Libris De Pradel

Biblio D. D. Caroli — epipi Monsp



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Excudebat PETRVS METTERNICH, prope Augustinianos,

ANNO M. DC. XXXIII.

Matth. 22. cap.

Reddite Cæſari quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei Deo.

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.

Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. IOANNI-ADOLPHO,

ECCLESIÆ FVLDENSIS ABBATI, DIVÆ AVGVSTÆ ARCHICANCELLARIO, PER Germaniam & Galliam Primati, Principi ac Domino suo clementissimo.

DVo sunt, Reuerendissime Præsul, Princeps Illustrissime, Domine Clementissime, per quæ Archihæresis Lutherana, ingenti Christianæ Ecclesiæ damno, & infinitarum animarum æterno exitio, breui tempore tantum incrementi sumpsit, vt totum prope orbem Christianum perrepserit atq; instar pestiferæ luis infecerit, Summosq; Reges ac Principes applausores & Patronos inuenerit: Viuendi, *inquam,* Libertas, & bona Ecclesiæ diripiendi Impunitas. *Postquam enim Lutherus, hominem sola fide, sine bonis operibus, coram Deo iustificari, nec bona opera homini Christiano ad æternam*

consequendam salutem, necessaria esse docuit, & postquam vitam Monasticam, vt impiam damnauit, & Monachos ac Moniales à votis absoluit, liberosq́; pronunciauit, suaue hoc Euangelium facile amplexi sunt illi, quibus Christi iugum, quod ipse Saluator noster facilè pronunciat, durum videbatur; Proindeq́; Religiosi, habitu deposito, mundanis delicijs, quibus antea valedixerant, se denuò manciparunt. Magnates verò reditus ecclesiasticos impunè inuaserunt, occuparunt, diripuerunt, in fiscum suum, maximâ sui parte, redegerunt, inq́; luxum (vt cum illorum Cothmanno loquar) conuerterunt, attestante hoc rei euidentiâ, ac notorietate, & vno quasi ore, idem confirmantibus ipsorum Doctoribus, testibus apud illos omni exceptione maioribus. Et vt quidam illorum de tanto Spolio aliquid in sustentationem scholarum & Ecclesiarum suarum impenderint; per exiguum tamen, hoc est, & cum eo, quod prophanis suis vsibus applicuere, minimè comparandum, nec aliter cum Deo & Ecclesia bona Ecclesiastica partiti sunt, atque impostor ille nuces cum Deo suo Mercurio, cui putaminibus relictis, nucleos sibi reseruauit. Caterùm reipsa

exper-

experti sunt; hoc quod ita, contra ius & fas, Deo & Ecclesiæ surripuerunt, aurum *fuisse* Tolosanum, & aquilæ pennas: *Nec enim quisquam illorum ditior exinde euasit, sed vniuersi potius ad inopiam redacti fuerunt: Quanam verò conscientia, quovè iure bona Ecclesiæ etiamnum diripiant, direptaq́ retineant, & armis etiam sibi defendere nitantur? audiant, quæso, suos Doctores, si Catholicis fidem habere nolunt. Iudicia illorum ac testimonia hacce de re euidentissima collegi, collectaq́ coniunctim cunctis exhibere volui: Quæ luculentissimè testantur.* I. *Bona Ecclesiæ esse Sacrosancta, inuiolabilia, ab omni inuasione, occupatione ac prophanatione immunia.* II. *Nec à fundatoribus, eorumvè successoribus, prætextu alicuius abusus, vel deficientis veri vsus, sine authoritate, ac permissu Sedis Apostolicæ, vel generalis Concilij, in proprios prophanos, vel alios etiam, quos ipsi vocant pios vsus, conuerti debuisse.* III. *Protestantes tamen, hoc non attento, bona Ecclesiarum & Monasteriorum, contra omnia iura, diripuisse, prophanasse, inq́ pessimos vsus conuertisse.* IV. *Ad ipsos Protestantes non spectasse de vita monastica, sitnè pia vel impia, tole-*

randa, vel abolenda? deq; prætenso bonorum Ecclesiasticorum abusu, iudicare, sed hoc ad Sedis Apostolicæ, vel generalis Concilij iudicium pertinere. V. *Et licèt à Sede Apostolica, vel generali Concilio, vita monastica damnaretur, adhuc tamen Principibus secularibus non licere, bona Monasteriorum inuadere, vel pro suo lubitu & arbitrio, alijs vsibus eadem applicare; sed hoc idem quoque ad Sedem Apostolicam, vel ad generale Concilium spectare.* VI. *Bona insuper à Protestantibus, de facto, occupata,* nulla etiam obstante contraria pactione, *Ecclesiæ restitui oportere.* VII. *Et denique Inuasores, Occupatores ac Prophanatores bonorum Ecclesiasticorum reos esse horrendorum criminum, Sacrilegij nempe, Homicidij, Rapinæ ac Tyrannidis; Hæc, inquam, summa sunt capita Iudiciorum ac Responsorum Doctorum Acatholicorum, quæ hoc in fasciculo Beneuolo Lectori exhibeo. Contra quæ, vtpote testimonia domestica, atq; ideo contra ipsos validissima, non certè habent Protestantes quod excipiant; Maximè cum constet, ea à viris doctis Maiorum gentium ICtis, veritatis admodum studiosis, à Catholica fide prorsus alienis, &*

partim

partim etiam Saxoniæ Electoris ministris, Lutheri amicis, Collegis atque patronis esse profecta, vt proinde dubitari nulla ratione possit, quin ipsi pro Catholica Ecclesia pronunciando, nihil affectibus tribuerint, sed Deum, veritatem, ac iustitiam præ oculis vnicè habuerint.

Cæterum, Reuerendissime Illustrissimeq́; Princeps, Domine clementissime, hoc opusculum, paginarum quidem numero non ita magnum, suo tamen in Ecclesia Dei fructu, quod confido, non cariturum, Tibi, pientissimo, Religiosissimoq́; Antisti ti, dedicandum nuncupandumque duxi, quò meum in Ecclesiam Catholicam studium Reuerendissimæ Tuæ Celsitudini commendarem, simul etiam quanta & quàm humili deuotione atque obseruantia Eandem prosequar luculent testimonio declararem, deq; nuper Ipsi, per legitimam Electionem, summa ac principali collata dignitate gratularer. Deus, qui salutem dat Regibus, & sapientiam largitur Principibus, Reuerendiss. Celsit: Tuam, Spiritu sapientiæ vngat & impleat, quò omnia ipsius consilia, simul & actiones cedant ac vergant ad Diuini nominis gloriam, Ecclesiæ Catholicæ, nunc plus satis afflictæ, salutem, S. Romani

Impe-

Imperij commodum, Reu. Celsitudinis Tuæ, Eiusdemq; peruetustæ, ac Nobilißimæ Honeckianæ Familiæ honorem, splendorem & ornamentum: Diuinam insuper ipsius Maiestatem supplex rogo, vt Pientissimo Cæsari *nostro contra suos & Ecclesiæ hostes victoriam largiri, Ecclesiæ suæ & S. Imperio Romano pacem diu exoptatam restituere, hæreses omnes extirpare, Tuam Reueren. Celsit. ac vniuersos Principes Catholicos, Ecclesijs & Ditionibus suis reddere, quam diutißimè saluos ac sospites conseruare, fœlix & pacificum regimen, & post hanc ærumnosam vitam immarceßibilem iustitiæ & gloriæ coronam ipsis concedere, clementißimè dignetur, quod meum votum ex pio & Catholico corde dimanans, ratum habeat SS. & indiuidua Trinitas, cui sit laus & gloria in sempiterna secula.*

Reuerendissimæ Celsitudinis
Vestræ

Humilimus Seruitor

HELFRICVS-VLRICVS
HVNNIVS ICtus.



I.

Hieronymus Schurpffius Jctus Saxonicus, Professor Iurisprudentiæ VVitebergensis, qui, referente Iohanne Sleidano, Luthero in Comitijs VVormatiensib. ab Electore Saxoniæ, tanquam patronus & aduocatus, adiunctus fuit, exindeq́ à Parente meo D. Ægidio Hunnio in epistola dedicatoria, commentario in Epistolam Paulinam ad Coloß. præmißâ, celebris & insigniter pius Ictus, Lutheri fidißimus προστάτης *appellatur, in consilio* 48. *centur.* 1. *Anno* 1545. *edito, & primùm VVitebergæ excuso.*



DOMINI nostri IESV CHRISTI auxilio suppliciter implorato. Licèt prædictæ responsiones sint adeò claræ & euidenter veræ, vt non egeant aliqua vlteriori probatione: tamen breuiter ex superabundanti, pro earundem fortiori confirmatione, aliqua adducentur. Et primò certissimi iuris est, quod omnes personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ ab omni seculari iurisdictione, etiam de iure ciuili Cæsareo, vt patet ex constitutione Friderici Imperatoris II. in §. *Item statuimus*, vt nullus Ecclesiasticam personam, in criminali quæstione vel ciuili trahere ad iudicium seculare præsumat, contra constitutiones Imperiales &

Personæ Ecclesiasticæ omnes sunt exemptę potestate seculari.

les & canonicas Sanctiones, &c. *in tit. de statut. consuetud. contr. libert. Eccles. indult.* vbi, vt patet in verbo *contra canonicas Sanctiones*, Imperator expressè approbat & confirmat Canones, eximentes Ecclesiasticas personas ab omni iurisdictione seculari, vt in *cap. Nullus de foro competent. cap. Cùm non ab homine.* Vbi eximit etiam expressè à Rege, *cum infinitis concordantibus de iudic.*

Exemptio Clericorum iuris diuini.

Exemptio enim Clericorum dicitur esse de iure Diuino, ita probatur per textum *in cap. Si Imperator. iunctâ Glossâ valdè notab. in verb. discuti.* 96. *distinct.* & est pulcher textus. *in cap. Sacerdotib. qui ponit* duo exempla, vnum de Constantino Imperatore, vt testatur Ecclesiastica historia, secundum, de paganis principibus, verum Deum nescientibus. 11. *quæst.* 1.

Ecclesiæ, Monasteria, & pia loca eorundemq; bona sunt exempta à potestate seculari.

Item certum est, quòd omnes Ecclesiæ, Monasteria; Pia loca, & eorundem bona & iura, etiam de iure ciuili, sint exempta ab omni potestate & iurisdictione secularium Dominorum, quacunque fulgeant dignitate, etiam imperiali, ita quod Dominis & potestatibus temporalibus, sub maxima pœna prohibitum sit, quicquam disponere, vel statuere de Ecclesiarum, Monasteriorum, &c. bonis & rebus. *l. Iubemus. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* §. *Nos igitur. in Auth. de non alien. aut permut. column.* 2. §. *hoc etiam super ipsis. &* §. *Hoc iubemus. in Authent. de alien. & emphy. colum.* 9. *Authen. Hoc ius porrectum. Cod. de SS. Eccles. & in d. Constit. Imp. Friderici. in princ. vers. Item nulla potestas, vbi præcipit summus Princeps per illa verba:* Item nulla potestas, vel persona publica, vel priuata, collectas seu exactiones, &c. Ecclesijs, vel alijs pijs locis aut Ecclesiasticis personis imponere, aut inuadere bona Ecclesiastica præsumat. Quod si fecerint & requisita ab Ecclesia, vel Imperio emendare contempserint; triplum refundent, & nihilominus Banno Imperiali subiaceant, quod absq; satisfactione debita, nullatenus remittatur. *Et Authent. Cassa de SS. Eccles. & Authent. Item nulla communitas. Cod. de Episcop. & Clericjs. cap. Nouerit. cum similib. de sentent. excommunicat. & in Authent.*

Pœna secularium personis & bonis Ecclesiasticis collectas & exactiones imponentium.

per

per totum.de non alien. & permut. & in tit.de alienat. & emphyt. & per tot.tit.de reb. Ecclesiæ non alienand. & dicit textus in *cap.2. de præbend.& dignit.* Quod nulla ratio permittat, vt quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur, proprijs cuiusque vsibus applicetur. Et subiungit ibi glossa, applicetur, id est, approprietur, id est, vt tanquam proprium reputet, quod est Ecclesiæ. Et tanto magis etiam prohibetur specialiter ipsius Monasterij alienatio. *Authent. Multò magis. & in corpore, vnde sumitur. Cod. de SS. Eccles.* vbi dicitur: Multò magis prohibetur Monasterij alienatio, quæ redeat in antiquum statum & secularem vsum. Priuilegia enim à Pontificibus & Imperatoribus, Ecclesijs & Monasterijs data, ne scilicet illorum bona alienentur, dantur propter ipsas Ecclesias & Monasteria. Ergo multò magis prohibetur ipsa Ecclesia, seu Monasterium alienari. Quia propter quod vnumquodq; est tale, ipsum quidem magis tale. Ad hoc enim semper allegatur *d. Authent. Multò magis.* vt dicit Aristoteles *in lib. poster.* Hinc dicit pulchrè Innocentius in *d. cap. Nouerit. post princ.* Item credimus quòd à Deo habeat Ecclesia priuilegium, quòd ipsa sola res Ecclesiasticas administrare debeat, allegans ad hoc *cap. Si imper. 96. distinct.* Quapropter S. Ambrosius Episcopus, etiam Comitibus missis ab Imperatore ad se, vt traderet Imperatori quandam Basilicam, allegantibus, Imperatori licere omnia, & Imperatorem iure suo iussisse; tradi debere in cuius quidem potestate essent omnia, & ipsius esse vniuersa. Respondit sanctus vir & Episcopus: *Noli grauare te Imperator vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere: Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subiectus: scriptum est enim: Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Addens: *Ad Imperatores palatia, ad Sacerdotes Ecclesias pertinere, &c.* Et finaliter dicit: *Quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere.* Et habentur hæc omnia *in cap. Conuenior. 23. q. 8.* vbi ponunt hæc verba S. Ambrosij. Si ergo Imperator non potest iubere sibi tradi Ecclesias, si vult esse Catholicus, quomodo inferiores à Cæsare, & subditi eius hoc possunt?

Potestas secularis nihil iuris habet in bonis Ecclesiæ.

Egregium & laudabile S. Ambrosij responsum.

Bona illatio.

 Ex

Principes feculares nō debent occupare nec fibi appropriare bona Ecclefiæ.

Ex quibus etiam patet quàm finiſtrè conſultum ſit Domino Principi L. quòd ſuæ illuſtri dominationi competat hoc ius petendi,&c. quia ſit Imperator in Ducatu ſuo,& ſcriptum eſt: Date Cæſari,quæ Cæſaris ſunt, quia illa ſcriptura probat penitus contra ſuam ſerenitatem,vt patet ex illo textu S. Ambroſij, & ſupra in reſponſione data ad primum quæſitum. Eſt enim ex textu Chriſti oſtenſum per Ambroſium; Imperatorem met non poſſe ſtatuere in præiudicium rerum Eccleſiæ. Et in *cap. Bene quidem.* 96. *diſtinct.* vbi dicit textus inter cætera: *Iniquum eſt & ſacrilegij inſtar, vt quæ pro ſalute & requie animarum ſuarum vnuſquiſque Venerabili Eccleſiæ, Pauperum cauſa, contulerit, aut certe reliquerit, ab his, quos maximè conſeruare conuenerat, in alterum transferantur.* Et ideo inuadens res Eccleſiarum, committit horrendū crimen Sacrilegij, etiamſi ipſe eas contulerit Eccleſijs. *cap. Sunt opes.* vbi etiam ſunt verba B. Ambroſij, cum trib. ſequent. 17. *quæſt.* 4. Cum ergo leges etiam Imperiales exemerunt perſonas Eccleſiaſticas & Monaſteria cum omnibus eorundem bonis & iuribus, ab omni poteſtate & iuriſdictione temporali & Principes ſubiecti ſint Imperatori & eius legibus & ordinationibus *l. Deprecatio. ff. ad L. Rhodiam. de iact. l.* 3. *cum ibi notat. cum ſimilib. Cod. de ſumma Trinitat. & fide Catholic.*

Inuaſores bonorū Eccleſiaſticorū cōmittunt crimen Sacrilegij ex ſententia D. Ambroſij.

Reſiſtunt ordinationi Diuinæ.

Sequitur quòd Principes & aliæ poteſtates ſeculares, vſurpantes & inuadentes res Eccleſiarum, Ordinationi Dei reſiſtant, cum omnis poteſtas ſit à Deo. *Roman. c.* 13. *can. Qui reſiſtit* 11. *quæſt.* 3. *& probatur* 1. *Pet.* 5. *cap. Item reſcriptum eſt.* 1. *Reg.* 14. *cap.* Qui non obedierit Principi, morte moriatur. Et habetur tranſumptiuè in *cap. Si quis venerit. in* 2. *reſponſ. de maioritate & obedient.* Et hoc in præſentiarum eſt ſine omni ſcrupulo, cùm non ſolùm ſupra adducta iura, non ſint iuri Diuino contraria, ſed ei conformia, ſcilicet ne quis rem alienam vſurpet, vel inuadat,&c.

Abbas & Conuentus non poſſunt

Item quod præfati, dominus electus Abbas & Conuentus de iure non poſſint Monaſterium S. M. cum ſuis bonis,

poſ-

possessionibus, villis & iuribus, &c. Illustri Principi L. tradere, satis ex supra adductis ostensum est, & vltra ea patet. Quia Prelatus non est dominus rerum Ecclesiasticarum, sed solum procurator, siue administrator. Ideo conditionem Ecclesiæ meliorem potest facere, deteriorem verò non potest. *cap.* 2. *de donat.* Imò Episcopus cum suis Canonicis non potest facere graues donationes de rebus Ecclesiæ, in detrimentum eiusdem. *can Hoc ius porrectum.* 10. *quæst.* 2. *& per tot. de reb. Ecclesi. non alienand. Authent. Hoc ius porrectum. Cod. de SS. Eccles. d. cap.* 2. *iunct. gloss. in verb. Maximè.* Principi seculari tradere bona Monasterij & Ecclesiæ suæ. Nec Episcopus cũ suis Canonicis.

Multò magis à Prælato vel Capitulo non potest Monasterium seu Ecclesia cum omnibus bonis alteri tradi. Et licèt Prælatus non dicatur propriè procurator, cum possit latius & liberius disponere de bonis Ecclesiæ, vt per *gloss. notabil. in cap. final.* 5. *quæst.* 3. *in can. duo sunt genera* 12. *quæst.* 1. *cap. præsentium. de offic. ordinar. lib.* 6. Sed tamen dicitur procurator in eo, quòd habet procurare vtilitatem Ecclesiæ, non autem disponere adlibitum vt dominus. *d. c.* 2. *& ibi.* Panorm. *in* 1. *notab. item procurator. in can. final.* 12. *quæst.* 1. *cum similib.* Prælatus quomodo & quatenus procurator Ecclesię suæ.

Et ratio est in promptu, quia bona Ecclesiarum sunt Pauperum. *can. fin.* 16. *qu.* 1. Et sunt verba B. Hieronymi *c.* 2. *de rebus Ecclesiæ non alienand.* vbi dicitur, qui res Ecclesiæ petunt à regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ (cuius facultatem auferre cupiunt) excludantur, &c. Et est contra rationem, vt illud, quod pro communi vtilitate datum est, quis sibi vsurpet. *d. cap. Ratio. de præbend. & dignit.* Hinc dicit Iohan. Andr. *in d. c.* 2. *in Nouell. in quantum.* ibi textus vult Horrendum sit quod laici vel alij petant res Ecclesiasticas à Regibus vel alijs Principibus, quod hoc nedum iure ciuili & Canonico videtur horrendum, sed etiam omni rationabili homini, & propter pauperes alendos iubentur bona Ecclesijs iam acquisita, vendi. *cap. Aurum.* 12. *quæst.* 2. Et propter pauperes alendos fuerunt bona Ecclesijs Pulchrum S. Hieron. dictum. Horrendum est Laicos petere res Ecclesiæ.

 iam

iam collata, quæ olim in primitiua Ecclesia distrahebantur. *can. Videntes.* 12. *qu.* 1.

Ribaldi sunt, qui hodie appetunt bona Ecclesiæ.

Ex quibus euidenter infertur contra Ribaldos nostri temporis, qui à Principibus res Ecclesiarum petunt: Quòd scil. in Deum, Naturam, & omne ius peccent, sibi & suis vsibus appropriando, quod Ecclesijs pro communi vtilitate Pauperum datum est. Et pro confirmatione illorum, quæ supra in responsione dicta sunt, si scilicet contingeret Monasterium

Sine authoritate Sedis Apostolicæ bona Ecclesiæ non possunt in aliũ pium vsum conuerti.

præfatum in L. Finiri, &c. est sciendum quòd ea, quæ ad certum quendam Pium vsum, ex dispositione Fidelium, relicta, data, vel oblata sunt, non debent in alium Pium vsum conuerti sine authoritate Sedis Apostolicæ. *Clement. in. 2. in princ. ibi. Cùm in ea, &c. de Religios. dom. & probat: l.* 1. *Cod. de administrat. rer. ad ciuit. pertinent.* vbi dicitur, quòd ad certam speciem ciuitatis relinquitur, in alios vsus conuerti non licet. *l. Legati. ff. eod. tit.*

Et quod bona à Principio in aliquem vsum pium certum destinata, nunquam possunt vacare, sicut nec legatum ad talem pium vsum certum relictum, caducum effici potest. secundum Bartolum *in l. Pater* §. *Tusculanus. ff. de legat.* 3.

Deficiente pio vsu ad quem bona relicta sunt, debent ad alium pium vsum conuerti.

Et isto casu, quando scilicet bona sunt destinata in aliquem vsum certum pium, vt ibi perpetuò remaneant, non possunt in illum vsum impleri, debent conuerti in alium pium vsum, *l. Legatum ciuitati. cum ibi notat. per Bartol. ff. de vsufruct. legat.* Iohan. de Imola & Panormitan. & alij. *in d. cap. Nos quidem. ante fin.* quando scil. relictum fuit factum contemplatione personæ vel Collegij, nullo habito respectu ad piam causam. *argum. l. sunt persona. ff. de religios. & sumpt. fun.*

Conclusio: Bona Ecclesię & monasteriorũ, sine authoritate Apost. Sedis, vel Concilij Generalis non possunt in alium pium vsum conuerti.

Cum ergo claret & luce meridiana clarius est, insigne Monasterium S. M. in L. fundatum, & à Christi fidelibus omnia eius bona in honorem Dei & pro salute animarum, & ita in piam causam eidem perpetuo data & collata fuerunt. Sequitur inconuincibiliter, quòd sine authoritate Apostoli-

cæ Se-

ex Sedis, vel saltem Concilij generalis etiam in alium pium vsum conuerti non posse.

Multò minus Illustris Princeps & Dominus Dux C. propria authoritate sibi appropriare potest, sed sub pœnis Sacrilegij & aliarum Legum inuasoribus rerum Ecclesiasticarum inflictis, ab huiusmodi proposito abstinere tenetur, nec sua illustris dominatio potest iudicare, siue cognoscere de isto negotio spirituali: An scilicet vita monastica sit pia, necne, cum Laicus de minimis rebus Ecclesiasticis & maximè spiritualibus, siue eis annexis, non possit cognoscere. *cap. Decernimus. & cap. Quanto de iudic. & per tot. distinct. 96. cum multis similibus.*

Seculares Principes sub pœna Sacrilegij debent à direptione bonorum Ecclesiæ abstinere.

Princeps secularis non potest de vita monastica, sitne pia, an minus? iudicare.

Ex quibus omnibus plus infertur: Quòd si definiretur in futuro Concilio, Monasteria & vitam monasticam non esse iuri Diuino conformia, vel aliàs contingeret præfatum monasterium in L. quouis modo finiri, siue dissolui, quod adhuc Princeps præfatus, *nec Imperator ipse* sibi huiusmodi monasterium & eius bona appropriare sub dictis pœnis posset: Sed deberent *authoritate Papæ, vel Concilij generalis*, ex quo ipsum monasterium est exemptum, & soli Sedi Apostolicæ subiectum, in alium pium vsum pro moribus & qualitate vrbis L. & totius Ducatus conuerti. Et hoc est sine omni dubio, pro tanto quòd non indigeret aliqua discussione.

Etsi in Concilio vita monastica reprobaretur, non tamē Princeps secularis posset in alium pium vsum bona monasteriorū conuertere: sed hoc ad Papā vel Concilium pertineret.

Veritas autem secundæ responsionis quantum scilicet attinet ad insignem consulatum vrbis L. probatur, quia in communi iuramento intelligitur excepta authoritas, vt in *Constit. Imperialem, in fin. de prohib. feud. alienat. per Frideric.* & hoc procedit, etiamsi authoritas superioris non fuerit expressè excepta. Tamen adhuc intelligitur ius superioris in omni etiam iuramento exceptum. *cap. Venientes. & ibid. Dd. de iureiur.* Constat autem Imperatores, qui constituerunt Consules L. executores Monasterij præfati ac iurium & bonorum eiusdem, superioris Ducibus.

Subditi Imperatori magis, quā suo immediato domino parere tenentur.

Sunt etiam humanarum Legum gradus aduertendi, vt puta, si

ta, si consul aliquid iubeat,& aliud iubeat Imperator,obediendum est Imperatori. Nam cum quis eligit maiori inseruire, non debet inde irasci minor. *d can. Qui resistit.* 11. *quæst.* 3. Est enim in obedientia iste ordo, quòd scilicet maior minori præponatur, & quòd Deus præponatur omnibus: Itaque si inferior aliquid præcipiat & eius superior mandet contrarium, potius est superiori obediendum, dummodo mandatum sit iustum. *can. Quæ contra mores.* 8. *distinct. & d. cap. qui resistit.* & sunt verba S. Augustini vtrobique. Cùm ergo Domini Imperatores Ducis L. superiores constituerunt Consules vrbis L. executores monasterij præfati & omnium bonorum ac iurium eiusdem, & præceperunt eis sub magnis pœnis, vt huiusmodi iura defenderent, & Dux ipse contrarium præcipiat, & huiusmodi mandatum, vt apparet, sit iustissimum; Ne scilicet bona Deo & in piam causam, pro vtilitate pauperum à Christi fidelibus, bono zelo oblata, prophanentur. Sequitur clarissimè quod in hoc magis teneantur Imperatori, mundi Domino, potius, quàm illustri Principi obedire, & quod in hoc non intelligantur contemnere suam Illustrem Celsitudinem, sed si in hoc non obedirent Imperatori, resisterent Dei ordinationi. Ergo, &c.

Nec fundator & patronus Ecclesiæ potest occupare bona illius.

Insuper iure speciali prouisum est, quòd fundator, siue patronus Ecclesiæ siue Monasterij non possit aliquid temporale ab Ecclesia petere, nisi fuerit ei tempore fundationis aliquid specialiter ab Episcopo loci reseruatum. *cap. Præterea. de iure patronat.* per quem textum dicit ibi Panormitanus *in* 2. *notab.* se aliàs consuluisse: Quod populus habens ius patronatus, non possit à Presbytero exigere certos cereos, in recognitionem iuris patronatus, ex quo non fuit sibi reseruatum tempore fundationis. Et excommunicandi sunt fundatores, siue patroni, qui bona Ecclesiastica pro eorum arbitrio distribuunt. *cap. Præterea. l. eod. tit.* Imò si patronus sit Clericus, non tamen potest sibi etiam propria authoritate retinere vel filio concedere Ecclesiam. *cap. Consuluit.* Cum ex vi iuris Pa-

Secus si fecerit, excommunicatur.

trona-

tronatus non concessio, sed præsentatio ad patronum pertineat. *cap. final. eod. tit.* Et in summa, in Ecclesia, quam quis fundauit, quantum attinet ad temporalia, patronus, siue fundator Ecclesiæ, nihil iuris habet, nisi honorem in processione, & si vergat ad inopiam, ipsi modestè ab Ecclesia debet prouideri de alimentis. *cap. quicunque, 16. q. 7. cap. Nobis. de iure patronatus.* præter illa habet tantùm onus in defendendo, ne scilicet quis bona eius dilapidet, ipsi autem fundatores & heredes eorundem ab omni inuasione & occupatione bonorum Ecclesiæ se abstinere debent. *cap. filius 16. quæst. 7.* Quanto minus illustris Dominus Princeps L. potest aliquid vsurpare de bonis dicti monasterij, cùm ad Abbatem & Capitulum pertinet tota administratio eiusdem, & nescitur an prædecessores Ducis fuerint fundatores eiusdem

Quid Fundator in bonis Ecclesiæ iuris obtineat

II.

Idem Hieronym. Schurpffius consil. 90. cent. 1.

Omnipotentis Dei auxilio suppliciter implorato. Diligenter visis & ponderatis facti contingentia & literis mihi exhibitis, ad quæstiones propositas respondeo. Et primo cùm villæ & alia bona sint dedicata, concessa & deputata Ecclesiæ Parochiali & Monasterio G. nullo modo poterunt inde abstrahi, seu alienari, nec in alios vsus conuerti, vt ex sequentibus plus quàm clarè patebit.

Et primò cùm constet, quod omnia bona data & appropriata Ecclesijs, dicantur esse oblata Deo, & ita, quòd sint Christi & Ecclesiarum. *cap. qui abstulerit.* vbi dicitur: Qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, vel fraudat, homicida est. *& cap. nulli liceat cap. quicunque.* vbi dicitur: quicunque militum vel cuiuscunque ordinis vel professionis persona, prædia Ecclesiastica à quocunque rege vel principe seculari susceperit, vel inuaserit, nisi ea bona Ecclesiæ restitueret, excommunicationi subiaceat. *cap. prædia cum concordant. 12. quæst. 2.* in quibus ex-

Rapiens bona Ecclesiæ est homicida.

Rapta nisi restituat excommunicationi subiacet.

 pressè

presse habetur, quòd tales sacrilegi sint censendi. Et dicit textus in *cap.*2. Qui res Ecclesiæ petunt à Regibus & horrendæ cupiditatis impulsu, egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ, cuius facultatem auferre cupiunt excludantur. *Extra de rebus Eccles. non alienand.* Et dicit textus in canonibus, valde iniquum & ingens sacrilegium esse, oblata, vel relicta Ecclesiæ ab his, à quibus vel maximè seruari conuenit, Christianis, & super omnia à Principibus & primis regionum, in aliud transferri vel conuerti. Sunt enim huiusmodi bona, quoad sustentationem, ipsorum pauperum. *cap. quoniam quicquid alias fi. & sunt verba S. Hieron.* 16. *quæst.* 1.

Valde iniquum & ingens Sacrilegiũ est principes rapere bona Ecclesiæ.

Hinc dicit textus in *cap. 3. de prabend. extr.* Ratio nulla permittit, vt quod pro communi vtilitate datum esse cognoscitur, id proprijs cuiusquam vsibus applicetur. Et subaudit ibi *gloss.* applicetur, id est, adproprietur, scilicet, vt tanquam proprium reputet, quod est Ecclesiæ. Et sic est ibi casus in *d. cap.* 2. *de rebus Eccles. non alien.* vt ibi etiam expressè notat Panorm. *in 2. notab.* Quod bona Ecclesiarum sint principaliter deputata pro indigentibus, non solum Clericis, sed etiam Laicis. *can. videntes 12. quæst.* 1. Et quod etiam Imperator, & ita summus Princeps, nullam habeat facultatem disponendi de rebus Ecclesiæ, pulcher est textus, licèt vulgaris & sunt verba S. Ambrosij *in can. conuenior.* vbi inter cætera dicitur: Ad Imperatores Palatia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ, 13. *qu.* 8. Imo etiam de iure ciuili, Laicis omnis potestas disponendi tam de bonis, quàm de personis ecclesiasticis adempta est *Authent. sancimus, alias statuimus. & in corpore vnde sumitur, cum simil. Cod. de Episcop. & Cleric.* Et sic per prædicta iura & præsertim *d. C. 2. de rebus Eccles. non alien. in verbo rapiunt.* quod etiam hoc expressè notat Panormitan. *in 3. notabil.* quòd inuadens rem alterius ex titulo apertè inualido, dicatur rem illam rapere, quia datum ab illo, qui de iure dare non potest, pro non dato habetur. *c. quod autē vbi dicitur in fin.* Nihil agi videtur, quia pro dato

Nec summus Princeps habet potestatem disponendi de bonis Ecclesiæ.

non

non habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de iure donare. *de iure patronat. & can. Gnibertum.* vbi dicitur, qui nihil habuit, nihil dare potuit. 1. *q.* 7. Quod etiam procedit de iure ciuil. *l. traditio in princ.* vbi dicit Vlpianus: Traditio nihil amplius tranſferre debet, vel poteſtatem, qui accepit, quàm eſt apud eum, qui tradidit. Si igitur quis dominium in fundo habuit, tradendo id transfert: ſi non habuit, ad eum, qui accepit, nihil transfert. *ff. de acquir. rer. domin.* Sicut etiam damnatus ab eo, qui non habuit ius condemnandi, non dicitur condemnatus: Cùm condemnatio talis non valeat. *l. 2. in fin. ff. de pœn. l. 2. Cod. eod. tit.*

Sequitur iam ex prædictis breuiter adductis, quòd bona Eccleſiarum non poſſint ex laicis, etiam ab ipſomet Imperatore, vel alijs regibus & principibus, cùm nec poſſeſſio, nec dominium huiuſmodi rerum Eccleſiæ, conſiſtant penes eoſdem, occupari, aut quouis titulo in laicos alienari. Et per conſequens, quòd alienatio ab illis, cuiuſque præeminentiæ, vel dignitatis fuerint, facta, tanquam à nondominis, fit ipſo iure nulla, & quòd penitus nihil iuris, nec dominij transferant, vel transferre poſſint in eos, in quos alienatio huiuſmodi de facto facta eſt. Et ita quod accipientes, vel inuadentes res Eccleſiæ huiuſmodi titulo à iure reprobato, & à non Domino, dicantur illas rapere Prælatis & Clericis &c. **Bona Eccleſiarũ non poſſunt à principibus ſecularibus, etiam ſummis alienari & in laicos transferri.**

Eſt enim omnis alienatio rerum immobilium Eccleſiarũ, Monaſteriorum, Hoſpitalium & aliorum locorum piorum, quocunque titulo, ſiue donationis, ſiue permutationis &c. fiat regulariter de iure prohibita. De Iure enim ciuili hoc patet per § *Nos igitur per tot. Authent. de non alien. & permut. rebus Eccleſ. col.* 2 § *hoc vero iubemus Authent. de alien. & emphyt. columm 9. cum concordan.* Et dicit Imperator in *d. l. iubemus.* inter cætera. Ea enim, quæ ad Beatiſſimæ Eccleſiæ Iura pertinent, vel poſthac fortè peruenerint, tanquam ipſam Sacroſanctam Eccleſiam & religioſam, intacta conuenit inuiolabiliter cuſtodiri, vt ſicut ipſa Religionis & fidei mater perpetua eſt, ita eis patrimonium iugiter ſeruetur illæſum. Et iſta Lex Leonis

 Impera-

Imperatoris fuit prima, quæ fuit facta ſuper prohibitione alienationis bonorum immobilium Eccleſiaſticorum, vt patet in *Authentica. de alien. & emphyt. §. quia verò Leonis.* Et licet fuerit localis in Eccleſia Conſtantinopolitan. Tamen per alios Imperatores fuit extenſa ad alias quoque Eccleſias, & pia loca, vt iam per ſupra adducta claret & in *Authent. Hoc Ius porrectum, Cod. eod. tit.* Et inquit Paulus de Caſtro in *fin. d. l. iubemus* in hæc verba prorumpens: Nota quòd Eccleſia nunquam moritur, ſed ſemper eſt perpetua. Facit *cap. ſi gratioſè de reſcript. in ſext.* Et quòd debet habere bona ſimiliter perpetua, pro ſuſtentatione deſeruientium Eccleſijs, quod eſt contra hæreſin iſtorum de Bohemia qui dicunt contrarium, quod procedit ex ſumma ſuperbia, cùm velint plus ſapere quam omnes qui fuerunt mille annis retrò. Hæc ille. Idem probatur per infinita capitula iuris Canonici, vt *d. cap. Nulli licet & d. cap. qui diſtulerit & d. cap. monemus cum ſimil. 12. quæſt. 2. cap. 2. & per tot. de rebus Eccleſ. non alienand.*

Caſus quibus bona Eccleſiæ poſſunt à Prælatis alienari.

Item expeditum eſt quòd à prædicta regula ſolùm duo, vel quatuor caſus excipiantur, ad quos omnes alij reducantur, in quibus ſcilicet tantùm permiſſa eſt alienatio rerum immobilium, vel mobilium precioſarum eccleſiarum, quæ ſeruando ſeruari poſſunt: cùm illa, ſecundùm dicta, æquiparentur: ſcilicet cauſa neceſſitatis, quando Eccleſiam vrget debitum. *Authent. Hoc Ius porrectum, canoniſata in can. Ea enim §. Hoc ius porrectum* 10. *quæſt.* 2. vel cauſa Pietatis, pro redẽptione captiuorum, vel pro alimentis pauperum *can. Aurum Eccle.* 12. *quæſt.* 2. vel cauſa vtilitatis Eccleſiæ. *can. ſine except. ead. cauſ. & quæſt.* vel cauſa incommoditatis. *c. terrulas ead. cauſ. & quæſt. de quibus eſt gloſ. ſingularis & notabilis ſuper rubric.* 12. *q.* 2. Et ad hoc, vt valeat alienatio rerum immobilium, vel alicuius rei immobilis eccleſiæ, monaſterij, vel hoſpitalis &c. ſubſiſtente videlicet aliqua legitima cauſa ex prædictis, ſcilicet vtilitatis, vel neceſſitatis eccleſiæ, propter quam ſcilicet poſſit fieri alienatio, ſiue venditio rerum immobilium Eccleſiæ, vel mona-

ſterij

flerij &c. requiritur quòd interueniant solennitates saltem requisitæ in iure Canonico ad huiusmodi alienationem, scilicet quòd præcedat tractatus totius Cleri &c. Item quòd interueniat authoritas superiorum, consensus Capituli & subscriptio clericorum. ita probatur per text. *in d. Authent. Hoc ius porrectum & ibi Dd. & d. c. sine exceptione & d. c. Nulli liceat, & ibi Dd. cum concord. de rebus eccles. non alien.* Et sic in huiusmodi alienatione requiritur causæ cognitio, scilicet quòd alienatio tendat vel in necessitatem, vel vtilitatem Ecclesię, qua quidem causæ cognitione omissa, non teneret alienatio. Nam ad hoc requiritur tractatio, vt pulchrè inquit Innocentius in *cap. nunc ad fin. ibi nisi permissu tractatu, extr. de eccles. benefic. sine dimin. conferu.* Et nisi illa alienatio perpetuò fiat, in casu à iure concesso & seruatâ illâ formâ, sine solennitate, ipsa est ipso iure nulla. Nam vt probatum est, alienatio illa, sine iusta causa à iure prohibetur *d. cap. nulli liceat cum iuribus prææallegat. in cap. 1. de reb. Eccles. non alien. in sext.* & est bonus textus in *in Clementin. 1. eod. tit.* Ergo est ipso iure nulla, facit *l. non dubium Cod. de legib. c. ea, quæ contra ius, de regul. iuris in sext.* Item isto casu, quando scilicet subest causa alienationis, si non seruetur forma dicta & ita solennitas iuris Canonici, adhuc omissio eiusmodi formæ, inducit nullitatem alienationis *c. tua, cum similibus. de his, quæ fiunt à prælat. sine consens.* Quamuis plures requirantur solennitates à iure ciuili. *d. Authent. Hoc ius porrect.* quæ tamen omnes hodie non sunt necessariæ, si scilicet interuenerint supradictæ & ita enumeratæ in *d. cap. sine except.* secundùm doctrinam Panormitani *in d. cap. Nulli liceat. & in d. cap. tua. vers. sed extra gloss.* Quia vt dicit Paulus de Castro in *d. Authent. Hoc ius porrectum. vers. circa secundam partem in fin. vers. ideo dicit:* Authentica fuit canonisata, vt videatur affectus Principis erga Ecclesias, non vt Ecclesia eam recipere voluerit de necessitate. Et, si inuasores bonorum Deo, Ecclesijs & pauperibus dedicatorum & oblatorum de facto appropriantes sibi ipsis huiusmodi bona, reuocarent ad animum historiam &

Exemplũ Balthasaris Regis Babyloniæ principibus bonæ Ecclesiæ inuadentib. proponitur intuendũ.

exemplum Balthasaris Regis Babyloniæ, filij regis Nabuchodonozar, inuadentis vasa sacra, per patrem suum de templo absportata, vt scribitur *Daniel.* 5. & plures alias historias etiam gentiles, præsertim istam de auro Tholosano, absque dubio abstinerent ab huiusmodi illicitis inuasionibus &c. & ideo bene dicit textus in *cap. Auaritiæ de election. in sext.* Auaritiæ cæcitas & damnandæ ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, vt quæ sibi à iure interdicta nouerint, exquisitis fraudibus vsurpare conentur. Et paulò post. Item cùm certi iuris sit, quòd data, oblata, relicta in certum pium vsum, si iste vsus desinat, vel in ipsũ, propter certam aliquam causam, conuerti non possint, quòd talia debeant ad alium pium vsum conuerti. *l. legatum ciuitati, vbi valde not. Bartol. in 2. column. vers. & per hoc dixi. ff. de vsufr. legat.* Et ad hoc notabiliter textus in *d. l. legatum ciuitati. Bart. in Rep. l. 1. in 2. quæst. in princ. in fin. Cod. de Sacros. Eccles.* decidit, quod si aliquis reliquerit diuiti, quem putat inopem, quantum ad se, rectè relinquit ad piam causam. *argument.* 42. *distinct. c. quiescamus.* sed ab illo diuite fortè legata essent auferenda & conuertenda in alium vsum &c. faciunt ea, quæ pulchrè notat Bart. *in l. pater. §. Tusculanus. ff. de legat.* 3. Panormitan. *in cap. Nos quidem. de testam.* Quanto magis bona oblata, & data ac acquisita præfatis Ecclesiæ parochiali in Gu. & monasterio monialium extra vrbem sito, debebunt inuiolabiliter & intacta manere apud eandem Ecclesiam parochialem: dato quòd vita regularis in huiusmodi monasterio desinat, ob quam rẽ hic cessat disputatio, qua quæritur, per quẽ debeat fieri conuersio legati, vel relicti aut dati, pij loci vsus & causa cessantis, in aliũ vsum pium. Cùm Eccl. parochialis ciuitatis Gu. Dei auxilio nunquam cessabit. Ideo præfata bona apud eam perpetuò omni iure diuino & humano remanere debent, & quòd inuadentes ea fures, sacrilegi & raptores censendi sint, & pœnâ sacrilegij puniendi. Et cùm, vt (proh dolor) apparet, Ecclesiastica potestas non possit efficere nostro tempore vt bona sæpe præno-

Cessante pio vsu, ad quem res erat destinata, non debet ea prophanari, sed ad alium pium vsum conuerti.

prænominata apud dictam Ecclesiam parochialem permaneat; sed forsitan libenter etiam impediret, vt absque dubio multi alij affectent quocunque titulo colorato ad se talia bona aduocare, recurrendum est in defectum & etiam propter impotentiam Ecclesiasticæ potestatis, ad Regem Bohemiæ, & ita ad secularem potestatem. Cùm potestas Ecclesiastica & secularis teneantur sibi inuicem mutuum auxilium præstare *c. Cum ad veram* 96. *distinct*. ex quibus omnibus plùs quàm liquidò infertur sæpenominata bona nullo iure posse à prætacta Ecclesia Parochiali, pro sustentandis ministris eiusdem auferri & in alium vsum etiam pium, conuerti. Et Deus illuminet Regiam Maiestatem vt ista pro officio suo curet & efficiat. Et ita vt inueniat locum, quod scribitur *in d. can. quid dicam* 14. *quæst*. 4. Vbi inter cætera ait Diuus ille Augustinus. *Hæc vtique atque eiusmodi malè possidentur, & vellem vt restituerentur, sed non est, quo Iudice repetantur.*

Quãdo Ecclesiasticæ potestati deficiunt vires ad res Ecclesiæ occupatas, recuperandas, opem ferre debet, potestas secularis.

III.

Matthæus VVesenbecius Ictus Saxonicus, Professor VVitebergensis & confeßione Caluinista in consil. 4. Num. 23. Part. 1.

Quod maximè de bonis Ecclesiasticis dicendum, quæ nunc possideri & vniri cum feudis est vsitatum: Talia enim bona, sicut ipsæ Ecclesiæ, iuris sunt diuini; eademque quæ Ecclesiæ, priuilegia habent. *l. vlt. Cod. de SS. Eccles.* §. *pro temporalibus in Authent. de Eccles. tit. c. grandi de suppl. negl. prælat. c.* 2. *de in integr. restit. lib.* 6. Andr. Tiraquell *de priuil piæ caus. in princ. & idcirco velut* Deo dicata, nullius sunt in bonis. §. *Nullius* §. *Sacræ Instit. de rer. diuis. l.* 1. *l. in tantum l. sacra & paßim eod. tit.* ac ab omni priuatorum iure habentur & sunt separata *l. vlt. Cod. de SS. Eccles.* ideoque nec conuerti, nec esse in priuato-

Res semel Deo & Ecclesiæ dicatæ ac consecratæ, non debent in prophanos vsus cõuerti

uatorum dominio & proprietate possunt *d. §. sacræ cum alijs supra allegat. & in Authent. de alienat. & emphyt. & extr. de rebus eccles. non alien.* quia sacra semel facta, amplius priuata fieri nequeunt *l. inter* 83. §. *sacram.* 3. *de verbor. obligat.* Schurpfius *cons.* 48. *licet sent.* 1. Posito etiam, quòd abusus essent consecuti: Nam tunc non in fiscum Principis redigenda: sed in meliorem magisque verum vsum sunt conuertenda *l. Legatū* 16. *ff. de vsu & vsufr. legat. l. Legatum* 5. *de admin. rer. ad ciuit. pertinen. l. final. de opere public. Alb. l si vsufruct. in fin. quib. mod. vsusfr. Iacob. de Roydis num.* 30. Idque cum authoritate Consilij vel superioris *Clement.* 2. *de religios. domib. Hieron. Schurff. d. cons.* 48. *Licet num.* 11. *&c.*

Nec interueniēte abusu illarum in fiscum principum redigi debent.

Sed in meliorem piū vsum, authoritate Concilij, vel Superioris sūt conuertendæ.

I V.

Idem Matthæus VVesenbecius consil. 37. *Num.* 6. *cum sequent.*

VT autem in vsum & fiscum eius (principis temporalis) prouentus Ecclesiæ redigantur, nulla ratione pactioneque potest effici. *l. quod nullius vbi gloss. de Regul. iur.* Quanquā enim Ecclesiæ possint in alicuius esse dominio, scilicet iure quodam vniuersitatis. *l in modicis* 24. *vbi gloss. & Dd. de contrahend. empt. l. si sepulchrum* §. 1. *Cod. de Religios. & sumpt. funer.* Innoc. & Canon. *c. ex literis de iure patronat.* Cuiusmodi sunt Ducatus & feuda regalia ampliora. Panormitan. *c. cum seculū num.* 1. *de iur. patron.* quorum pars quædam loca sacra, & monasteria, inibi sita censentur *cap. fin. de offic. arb. cap.* 2. *de restitut. spoliat. cap. cum episcopus de offic. ordin.* quæ ideo fidelitatem domino terræ debent, *cap. vnic.* §. *verum de stat. rel.* Afflict. *cap. vnic.* §. *Consules &* §. *Vasall. de pace tenenda.* Panormitan. Imol. & Canonist. *c. nimis de iureiur.* Iacob. *tractat. feudal. verb. qui quidem inuestiti num,* 32. *verb. an Princeps num.* 13. 15. *& de homagio num.* 13 *&* 14. vt non abhorrens videatur, sicut deficiente vasalli generatione feudum domino aperitur. §. *vlt. de feudis Marchiæ*

Nulla pactione fieri potest vt prouentus Ecclesiæ in fiscum principis redigantur.

Obiectio.

marchia. c.1. de benefic. fratr. c.1. qui feuda dare Dd. tit. de succeß. feud. & de nat. succeß feud. Sic etiam monasteria deficientibus monachis, eodē deuolui. *l. omnia loca. 5. Cod. de pag & sacr.*

Tamen non valent pacta in eam Ecclesiæ desolationem, quam expectare nefas est, concepta *l. inter. 83. §. sacram.* vbi Iason. & Dd. *de verb. obligat.* Nec possunt res Deo Ecclesiæq; semel dicatæ, prophanari, vel in prophanos vsus redigi. Iason. *in d. §. Sacram. num. 4. c. Omnes. 16. quæst. 7. c. 1. vbi gloß. &* Hostiens. *num. 1. 2. de relig. dom.* Panorm. & Dd. *rubric. de consecr. Eccles.* Ne quidem propter abusum, cum, potius in meliorem tunc vsum pium sint conuertendæ. *Nouell. 37. de Eccles. Aphric. Clem. 2.* vbi Zabar. *de religios. dom. l. Legatum. 16. de vsu & vsufruct. legat. l. Legatum. 5. de administ. rer. ad ciuit. pertin. l. 1. Cod. eod. tit. l. Impp. 13. de pollicitat.* Imola, Panorm. & alij, *cap. Nos quidem. de testament. l. pater §. Tusculan. de legat. 3.* Idque plurimis confirmat Schurffius *consil. 48. Licet. num. 4. 6. 11. cert. 1.* Quod si contra fiat à Sacrilegio & homicidio non multum id putatur abesse. *cap. Bene quidem. 96. distinct. c. Sunt qui opes. cum seq. 17. quæst. 4.* quam in sententiam tam multa Schurffius *præallegato loco, num. 10.* disputat, vt ad eum remisisse satis superque sit.

Pacta in desolationem Ecclesiæ nō valent.

Res sacræ & Ecclesiæ dicatæ non possunt prophanari, ne quidē propter abusum.

Approbatio Responsi Schurffij.

Nec obstat, quod allegantur Maiores Principis hanc Ecclesiam fundasse. Namne sic quidem aliquid iuris obtendi potest, quod non sit tempore fundationis reseruatum. *cap. Praterea. 2. de iure patron.* vbi Panormit. *2. notab.* Sed & excommunicantur patroni Ecclesiæ, qui bona illius suo arbitrio distribuere, nedum dilapidare volunt. *c. 1. c. Præterea. cap. Consuluit. eod. tit.* Schurffius *d. consil. 48. num. 14.* Cùm ei tantùm id subsidij debeatur, vt si vergat ad inopiam, congrua duntaxat alimenta petere de bonis Ecclesiæ suæ possit. *c. Quicunque. 16. q. 7. cap. Nobis de iure patronat.* quando ipsum prouidere oporteat, ne quis Ecclesiæ bona dissipet. Schurffius *d. consil. 48. in fine,* vt multò minus eundem id committere conueniat *c. filij. 16. q. 7.* quod alijs prohibere debeat. *l. altius. 15. ff.*

Nec fundatores eorumve successores possunt res Ecclesiæ inuadere.

Secus facientes excommunicantur.

Quid iuris in bonis Ecclesiæ habeat fundator eiusve successor.

C   *fiser-*

si seruitus vindic. Sed & meliorem vtique, non deteriorem Ecclesiæ conditionem facere potest. *cap. 2. vbi* Panorm. *de donat. cap. fine. 12. quæst. 2. l hoc ius porrectum. Cod. de SS. Eccles.* Schurffius *d. consil. 48. num. 9.*

Nec princeps in cuius territorio monasteria sita sunt, potest eorum bona occupare.

Non obstat quod hæc Ecclesia territorio Domini sit conclusa. Paria namq; sunt, locum non esse situm in territorio, vel exemptum esse. *c. Cum Episcopus. vbi gloss. ord. de offic. ordin. in 6.* Calder. *consil 13. contra. nu. 1. de foro compet.* Anch. *cap. Si propter debita. circ. fin. de rescript. in 6.* Iohan. Andr. & Gem. *c. 2. de constit. in sext.* Angel. *consil. 233. quædam domina. num. 2. & 3.* Iason *in l. vlt. num. 4. & 5. ff. de iurisd.* sicut eiusmodi loca priuilegijs Imperatorum, potestati inferiorũ exempta, multipliciter dignoscitur. Schurffius *d. consil. 48. in prin. n. 1. cent. 1. per tit. de immunitat. Eccles. cum alijs ab eo allegat.* Quamobrem vt maximè pars sint regionis in procurando bono publico, sicut Ecclesiam, quæ sit iustitiæ pietatisq; mater *c. 1. §. 1. de alienat. feud.* in id incubare decet *l. 4. Cod. de summ. Trinit. c. ex tenore. 11. de foro compet. c. solitæ. 6. de maior. & obed.* Non tamen inde sequitur posse illa prophanari, contra *§. sacræ. I. de rer. diuis. l. inter. § Sacram. de verb. oblig. Nouell. 37. de Eccles. Aphric. cap. Ad hoc. & tot. tit. de relig. dom. c. Mancipia. cum sequent. de rer. permut.* Non enim censetur pars iure totius, vbi diuersa apparet ratio. Euerhard. *in loc. à toto.* Tiraquell. *de retract. proximin. § 1. gloss. 7. num. 45. per l. Cùm indeb.* vbi Salic. Bald. *4. notab. de probat.* Sed nec ideo minus exempta videri debet Ecclesia, quòd locum Prælati in Conuentibus publicis impleat. Iacob. *in inuest. in verb. an princeps. num. 15. & de Homag. n. 32.* Nec argumentum à feudo, quod temporale sit, & commercio subiectum domini, à quo recognoscitur, ac dependet, rectè porrigitur ad Ecclesiæ bona, vsibus humanis exempta, ac etiam potestati domini terræ, à quo non recognoscantur vt feuda.

Responsio ad superiorem obiect.

Templa Gentilium dæmonijs

Non obstat *L. Omnia. Cod. de Pagan.* Nam loquitur de templis Gentilium, hoc est, quæ non Deo, sed dæmonijs consecra-

sa;

ta, ſicut D. Paulus docet 1. *ad Corinth. c.* 10. *v.* 20. quem ideo textum *d. l. omnia.* non conuenit ad bona veræ Eccleſiæ veroq; Deo ſemel conſecrata. §. Sacræ. l. de rer. diuiſ. & vſibus pauperum deputata. *l. ſancimus.* 18. *& paſſim. C. de SS. Eccleſ.* extendi *cap. Si Imperator.* 96. *diſtinct. can Conuentor.* 23 *q.* 8. Innoc. *cap. Nouerit. n.* 2. *de ſentent. excommun.* Ne conuertatur ea conſtitutio in Eccleſiæ detrimentum: Cum potius veræ Eccleſiæ conſulere, eiuſq; iura (vt ex textu d. l. omnia patet) conſeruare voluerit. contra *l. Nulla de Legibus. l. quod fauore. Cod. eod.*

consecrata confiscantur. Non etiam templa vero Deo dicata.

Vnde ne Hæreticorum quidem domus & templa, vtpote vero Deo ſacra, fiſcus vendicat, commiſſi ſpecie, ſed Eccleſiæ relinquit. *l. Cælicolarum* 11. *Cod. de Iudais & Cælicolis.*

Quamuis ab hæreticis ſint conſecrata.

V.

Idem VVeſenbecius in Paratit. l. ad tit. Codicis de Paganis. Num. 2.

PAganos quidem, æquè vt Iudæos à violentia Imperatorum Chriſtianorum Conſtitutiones defendunt. *l. Chriſtianis.* 6. *hoc tit.* & iuri communi Romanorum ciuium vti permittunt. Nec enim tum in rei inueteratæ recenti mutatione fieri aliter potuit, licet crimen per ſe capitale ſit. *Exod.* 22. *v.* 20. Cæterum ſacrificia eorum, velut impia, abolent. *l.* 1. *l. penult. l. vlt. l.* 2. *hoc tit.* Templa concludunt. Niceph. *lib.* 8. *c.* 18. *&* 25. Fiſcò vindicant. *l. omnia.* 5. *hoc tit.* Exceptis ijs, quæ vel Chriſtianis deſtinata, vel in alios vſus translata ſunt. *d. l.* 5. Nam ſemel conſecrata vero Numini, per veram Eccleſiam, prophanari rurſus, aut in fiſcum redigi non poſſunt. *c. omnes.* 16. *q.* 7. *l. inter.* §. *Sacram.* vbi Iaſon *num.* 4. 5. *de verbor. oblig. c.* 1. *vbi gloſſ. de relig. dom.* §. *Sacra l. de rer. diuiſ.* Ne quidem propter abuſum. *Clement.* 2. vbi Zabarell. *de relig. dom. Nouell.* 37. *de Eccleſ. Aphric. l. Legatum.* 16 *ff. de vſu & vſufr. legat. l. Legatum.* 5. *de admin. rer. ad ciuit. pertin.* Schurff. *cum multis. conſil.* 48. *Licet. num.* 4. 5. *& dixi conſil.* 37. *num.* 7. 8. *&* 9.

Templa Deo ſemel conſecrata nec propter abuſum prophanantur.

VI.

Hieronymus Treutlerus olim cum hæc scriberet, confeßione Caluinianus, Selectarum Disputationum XIII. *Thes.* II. *lit.* **D.** *vol* 2.

Relictorum ad pias causas, deficiente causa, non reuertuntur ad heredes.

ITem quæritur: An relicta ad pias causas, deficiente causa, ob quam data sunt, fiant caduca & ad heredes reuertantur? Quod itidem negandum, magisque dicendum est quod ad alias pias causas conuerti debeant. *argum. l.* 16. *l.* 17. *ff. de vsu & vsufruct. legato. l.* 5. *de administrat. rer. ad ciuit. pertinen. l.* 13. *ff. de pollicitat. l.* 83. §. 5. *de verbor. obligat. junct. c. qui semel.* 19. *q.* 3. facit doctrina Bart. *in d. l.* 5. Wesenbec. *in parat. Cod. de pagan. sacrif. & templ. & consil.* 4. *num.* 23. *consil.* 37. *num.* 6. *& aliquot sequent.* Reusner. 2. *consultat. iurid. quæst.* 7. Cuiacius *lib.* 2. *quæst. Papinian. ad l. vlt. ff. de his qui not. infam.* vbi notabiliter allegat Melanthonem, quem dicit hoc recte accommodare ad mores suæ patriæ, hoc est, ad hodiernum Imperij Romano-Germanici statum.

VII.

Ernestus Cothmannus Lutheranus, olim Academiæ Rostochiensis Professor Iuris primarius, consil. 100. *volum.* 2.

Status quæstionis.

QVæstio est illustris & ardua moribus & temporibus nostris conuenientissima, vtrum bona Ecclesiæ & sacris vsibus, atque pauperibus olim destinata, ad formam patrimonialium & feudalium redigi, & à Laicis iure possideri possint? & quia contraria, iuxta se posita, magis elucescunt, ac veritas oppugnata, instar palmæ, ad onus & pressuram exurgentis, & ad similitudinem aromatum, quæ contrita odorem suauio-

uiorem effundunt, potentius se offert & ostendit, quid in partem vtramque dici de ea possit. Paucis exponam, vt quid probandum sequendúmque sit, cognosci, percipiq; possit.

Qui sententiæ affirmatiuæ defensores existunt & bona Ecclesiæ, in formam rerum patrimonialium redacta, Laicorum arbitrio, dispositioni & vsui subijciunt, hoc fundamentum cum primis ponere solent, quod bona illa Ecclesiastica initio, & quo ad originem, fuerint prophana & à possessoribus laicis iusto titulo possessa, ac quamuis possessionis eius causam post mutarint, & in Ecclesiæ vsus conuersa sint, nihil tamen impedire potuerint, quo minus ad pristinam naturam redierint, & primæuam conditionem suam receperint, cùm rem quamlibet ad suam naturam de facili reuerti certum sit, & legibus nostris decisum. *l. si vnus. §. pactus. ne peteret. D. de pactis.* quin & terram Dominis gratiam deberi non iniuria dixerimus, qui antiquis possessoribus è possessione bonorum eorum vi, clam, precario inuasa, rursus deturbatis, res Ecclesiasticas è seruitute & captiuitate in libertatem reuocarint, & velut postliminiò restituerint, Laudamus præmijsq; & honoribus dignos iudicamus, qui res ab hostibus iusto bello & manu forti captas, & ereptas virtute sua recuperant, & in verorum Dominorum potestatem iterum reducunt. *l. Si quis. cir. princip. D. de captiuis & postlim. reuers. l. ab hostib. c. eod.* quanto magis prouinciarum præsides res à superstitiosa calamitate, in quam deuenerant, vindicantes, laude, honore & præmio prosequendos & remunerandos esse existimabimus? Fundamenta Affirmatiuæ opinionis. I. Fundamentum.

In quam equidem opinionem deduci & rapi eo magis debemus, quòd res illas à præsidum abauis, atauisque Ecclesiæ & sacris destinatas, falsa atque inani possessorum suorum opinione & superstitione genuinam & germanam naturam deposuisse, & qualitatem extrinsecam, tam à diuina, quàm humana lege exorbitantem, adsumpsisse, & à vero vsu in abusum degenerasse, in hac Euangelij luce clarius & manifestius sit, quàm vt demonstrationem & comprobationem aliquam II. Fundamentum.

 desi-

desideret quocirca cùm in omnibus negotijs, tum verò imprimis in vltimis voluntatibus & donationibus, per quas plerique res Ecclesijs relictæ sunt, inuestigari necesse sit, quæ fuerit testatoris vel donatoris intentio, quæ affectio, quæve opinio, quale in largiendo propositum, & quæ causa, denique quæ ex his consequentia, quæq; cum ijs consentanea sint, vel non sint, & verò res ipsa probet, vel certè verisimili coniectura constet, testatores, vel donatores facultates suas ita demũ, si in vsus pios conuerterentur, Ecclesiæ relictas voluisse, quisnam, rogo, negare ausit, causa finali, quæ donationis factæ rectrix fuit, vel vana existente, vel collabente, ipsas quoque largitiones expirare, & quod relictum est, heredum lucro decedente, quam in rem iuris nostri auctores de facto consultos aliquoties respondisse ex libris nostris clarissimum est. *l. Pater filium. §. fideicommisit D. de legat. 3. l. liberto §. Lucius D. de annuis legat.*

III. Fundamentum. Accedit hisce, quòd res Ecclesiæ præscriptione, vel quadragenaria, vel centenaria à Laicis rectè adquiri ipsi Canones statuant, quodque præscriptionem, sine possessione non procedere iure certo sit constitutum. Nam ex eo facillimum intellectu est, bona quoq; Ecclesiastica è Laicorum commercio nequaquam exempta esse, sed tam quoad vsum, quàm quoad possessionem, laicis simul patere. Quod quidem præscriptionis præsidium & fori & poli iure possessores tutos facere, Theologorum omnium scholæ decreuerunt, Canonistarum & Legistarum plerique probauerunt, & vsus longæuus etiam inter Christianos confirmauit, populi deniq; salus, quæ suprema lex est & esse debet, efflagitauit, quid, quod res ipsæ sacræ, & Deo per Pontifices ritè consecratæ, in captiuorum redemptionem piè conferri, vel pauperibus erogari, vel qua alia necessitate iubente, ac cogente, alienari & vsibus prophanis exponi possint, vt Principibus easdem pro benemeritis & quod subditos, iugo seruili papistico pressos ex tyrannide illa liberarint, in pretium redemptionis relinqui non

sit

ſit iniquum, & huc Ambroſius *lib. 2. officior. cap.* 28. reſpexiſſe putari poteſt, *Quis*, inquiens, *eſt tam durus, immitis, ferreus, cui diſpliceat, quòd adoleſcentuli vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus inquinabantur, ſubſidio rerum Eccleſiaſticarum redimantur.* Et quia terrarum Domini eam in rem ſumptus immenſos ex reditib. Eccleſiaſticis, in ſuam poteſtatem redactis, longe maiores contulerunt, imò vitæ ac fortunarum præterea diſcrimen ſubierunt, quis quæſo tam iniquus rerum cenſor & arbiter eſſe poſſit, qui reditus illos, velut bello pio & iuſto adquiſitos, in compenſationem aliquam Principibus & Præſidibus deberi neget? Ioan. Luterb. *poſt. tractat. de armis & lit.*

Nihil nunc dicam de tutela ſubditorum publica, quæ Papatu, eiuſque Imperio facto, & Liga pontificia, quam etiamnum texere pergunt, donec eam dies Domini penitus diſſoluat, & in nihilum redigat, diuino beneficio debilitata, Rectoribus prouinciarum hodie incumbit, & maximum onus annexum habet, atque bona Cameræ, quæ vocantur, non parum exhaurit, vt nequaquam abſonum ſit ex reditibus Eccleſiaſticis compenſationem aliquam Principibus retribuere, cum nemo proprijs ſtipendijs militare teneatur. IV. Fundamentum.

Omitto præterea, quod optimi Imperatores, Honorius & Theodoſius loca errore veterum ſacris deputata, rei ſuæ dominicæ ſociari debere diſertè reſcripſerunt, *l. omnia. c. de paganis, & ſacrif.* quidni igitur, pari ratione, res Eccleſiaſticas, errore non ſolum, ſed falſa ac callida papicolarum perſuaſione, ac ſtulta poſſeſſorum credulitate ſacris conſecratas, prouinciarum Dominis deberi dicamus? V. Fundamentum.

Neque res hæc exemplis, ex ipſa ſacra Scriptura petitis, carere videtur. Nam & Iſraëlitæ terram promiſſam occuparunt, eamque velut herciſcundæ familiæ iudicio, ſine diſtinctione rerum ſacrarum, Eccleſiaſticarum & prophanarum diuiſerunt & poſſederunt, & à ſucceſſoribus eorum poſtea idem factum eſſe, hiſtoriæ ſacræ teſtantur. VI. Fundamentum.

Huc

VII. Fundamentum. Huc accedit, quòd hodiernos terrarum Dominos res illas Ecclesiasticas iure hereditario & titulo diuisionis acquisitas, iuste possidere constituendum sit, cum titulum pro herede, itemque pro diuiso legitimum & Canonicum esse nemo nesciat. Denique vt alia prætereamus constat inter omnes, in comitijs Spirensibus Anno 44. &c. Item quæ in Conuentu Augustano Anno, &c. 55. & rursus in Comitijs Anno 57. Spiræ habitis, & tandem in communi omnium Sacri Imperij Ordinum consilio Augustano, Anno, &c. 66. & Ratisbonensi. An. 76. Imperatorem, vnà cum omnibus & singulis S. Imperij Primoribus & Statibus vtriusq; religionis asseclas paribus priuilegijs donasse, & Augustanæ Confessioni addictis potestatem & ius peculiares constitutiones faciendi, & res suas, ita vt tunc possidebant, retinendi, attribuisse, & vt in ijs Pontificia iurisdictio in posterũ quiesceret, publica lege constituisse.

Neque obijcere quisquam possit, fœdus illud Religionis ad tempus solummodo factum esse. Nam etsi initio pax Religionis fuit temporalis, tamen in Comitijs Augustanis Anno 66. est perpetuata, Maximiliano II. felicissimæ memoriæ Principe & Sacri Imperij parente & Custode fidelissimo iubente, atque vniuersis Imperij statibus consentientibus ac suffragantibus.

Negatiua Sententia. Intelleximus hactenus, quæ in proposita quæstione aientium argumenta præcipua sint. Videamus modò, quid Negatiuæ sententiæ autores & propugnatores in medium adferant. Semel, inquiunt, Deo dicatum non est ad vsus humanos iterum transferendum. I. Fundamentum. Quod ius & ab ipso IEHOVA ortum & lege naturæ ac communi iure gentium sancitum est. Nam omnipotens Deus in prima mundi ætate tabernaculum fieri iubens, res quoque peculiares templo consecrari voluit, & Saluator noster aurum templo sanctificari dicit, *Exod. cap.* 30. *Matth. cap.* 23. *v.* 17. Quibus rebus sacratis, tantum abest, vt abuti liceat, vt etiam non nisi certis personis, certo & præscripto modo vti permissum sit. Huic diuinæ legi consen-

tiens

tiens est, quod naturæ, legem Dei inuitantis, ductu, Marcus Tullius, *Nihil*, inquit, *mortales à Dijs immortalibus vsucapere possunt. in Oration. de respons. aruspic.*

Proinde admodum piè ac præclarè Diuus Ambrosius Basilicam ad Imperatoris mandatum tradere iussus, animo forti & magno respondit: *Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, Domum Dei existimas auferendam? Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. scriptum est: Quæ Dei Deo. quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ, publicorum illis mœnium ius commissum est, non sacrorum, epist. 33. Canonizata conueniet. q. 8.* Quibus verbis grauissimis grauissimus auctor testatum fecit, res Deo, Ecclesijs & pauperibus mancipatas contrectantem in eam Decalogi partem grauiter delinquere, quæ furtum fieri seuerè vetat. Quid verò dicturum fuisse putamus Ambrosium, si in hæc tempora incidisset? Quid si vox illa clamantis hodiernos mores nostros inspiceret & contemplaretur? Quemadmodũ Herodi in faciem dicebat: Non licet tibi filiam fratris vxorem ducere. Vtique nunc quoq; exclamaret: *Non licet tibi res Deo, Ecclesiæ & pauperibus dicátas possidere, & in vsus tuos conuertere.* Sed obijt Ambrosius, & Vox clamantis obmutuit, vel certè raucedine sic est affecta, vt sonorum sonum non edat. Et hoc est quod hodie dici & deplorari solet, paucos esse Ioannitas.

II. Fundamentum.

Ambrosij dictum.

Furtum cõmittit qui occupat res Ecclesiæ.

NB. Mores hodierni Protestantium.

Silentium illorum Prædicantium.

Quod si porrò Imperatorum penè omnium leges, constitutiones, & decreta, atque Pontificum rescripta & Epistolas inspiciamus, negare non possumus, quin res Deo & pauperibus nuncupatas sub fulmine anathematis, excommunicationis & banni, atque sub pœna sacrilegij, & restitutione tripli eorum, quæ ablata sunt, à Laicorum iurisdictione, potestate & possessione simpliciter ac præcisè eximant. *c. bene quidem. 96. distinct. c. sacrilegium. c. omnes. 17. q. 4.* Et quæ hisce rebus

III. Fundamentum.

sacratis qualitas iniecta est, res eas peruadit ac permeat, talemque naturam illis indit, vt eam nunquam deponere, nec ad priorem naturam repeti, reuocarique queant; nisi, si quem casum aduersamq; fortunam audaci alicuius spiritu & mente sacrilega, experiantur, quod expectari, neque ciuile, neque naturale esse, sed & de facto tantum fieri, & si rerum earum naturam intueamur, impossibile esse, Ictus Paulus, homo Ethnicus respondit. *l. inter stipulantem. §. sacrarum. D. de verb. obligat.* vt vel inde solum discendum sit, quid illos, qui se Christianos & Religiosos profitentur, facere deceat & oporteat. Sint sanè res illæ Deo, Ecclesiæ & pauperibus superstione aliqua dicatæ? sint à possessoribus antiquis spurcitie & libidine inquinatæ? Sint denique vi, clam, aut precario inuasæ ac possessæ; Sed an ideo pro merè prophanis habendæ, imò diripiendæ & in vsus planè prophanos trahendæ erunt? quin potius, superstitione expiata, in vsus pios, quibus consecratæ sunt, redigantur & conuertantur. Legimus Modestinum nostrum consultum, si ciuitati legatum relictum sit, vt ex reditibus quotannis in ea ciuitate memoriæ conseruandæ defuncti gratia spectaculum celebraretur, idque illic celebrare non liceat, quid de legato fieri debeat; respondisse, memoriam testatoris alio & licito genere celebrari oportere, *l. legatum D. de vsufr. leg.* Quo responso communis præceptor Phil. Melanthon, piæ admodum & laudatæ memoriæ bona Eccles. falsis vsib. consecrata in meliores vsus conuertendos esse, aptè & conuenienter arbitratus est *in Epitom. Philos. natural.* idque cum elogio bono egregius ille iuris Interpres Iacobus Cuiacius comprobat, *in d. l. legatum.* ad Modestinum, itemque ad Papinianum *in l. vlt. D. de his qui notant. infam.* Neque quicquam iuuare possit bonorum Ecclesiasticorum possessores, quod res Ecclesiæ à maioribus suis dicant diuinis vsibus consecratas. Nam inde vitiosè inferunt, res eas pro libitu repeti & occupari posse, cum tempore fundationis heredibus & successoribus quicquam reseruatum non sit, sed ius omne abdi-

Nec propter abusum occupari & diripi possunt bona Ecclesiæ.

Sententia Philippi Melanth.

catum

catum, & vsui Sacro dicatum ac mancipatum, adeoque successores in æternum exclusi, *c. præterea 23. ibi Abbas num. 3. extra de iure patronat.* Matthæus Wesenbecius *consf. 37. num.* 9. Quin etiam non à solis Præsidum maioribus, sed & à nobilium ciuium, & omnium hominum locupletum decessoribus res illas Ecclesijs dicatas esse, antiqua instrumenta, eo nomine conscripta, clarissimè peruincunt, vt solis Terrarum Dominis etiam eo casu, quo prophanari possent, attribuere, diuisionis leoninæ speciem habiturum sit. Fateor, Principes & Status Augustanæ Confessioni in verbo Dei firmiter fundatæ addictos, rem piam ac præclaram fecisse, quod possessores vitiosos è possessione vitiosa detruserint. Fateor eo nomine Terrarum Dominis ius patronatus in res à Tyrannide ac libidine possessorum iniustorum liberatas ac vindicatas non iniuria attribui posse, Bald. *in c. quanto. n. 5. & 6. extr. de iudicijs.* Ioan. Lupus *in repetit. rubric. in prin. num. 24. extra de donationib. inter vir. & vx.* Sed præter id potestatem ijsdem Dominis superioribus factam esse, bona illa omnia sibi habendi & appropriandi, id verò simpliciter ac præcisè pernegandum censeo, Paris de Puteo *de Syndicat. sub rubric. de princip. excessib. num.* 55. Neque tueri se possint præsidio præscriptionis alicuius, quam in rebus Deo sacris & pauperibus consecratis neq; inchoari neque decurrere, neque compleri, sed in facultatibus tantum Ecclesiæ temporalibus & in commercio existentibus procedere certo certius est, *gloss. in c. semel. in prin. extr. de reg. iur. & ibid.* Petr. Peck. *num.* 7. vt interea omittam in hisce nostris terminis, cum rei vitium ex occupatione & inuasione violenta iniectum, tum fidem quoque malam, ac rei sacræ scientiam cursum præscriptionis impedire & peruertere.

Nec successores Fundatorũ bona Ecclesiæ occupare possunt.

Quasi verò.

Res Ecclesiæ & Deo dicatæ non præscribuntur.

Ac quamuis res sacræ in redemptionem captiuorum, pauperum egestatem, & in alias id genus calamitates piè & rectè expendantur ac conferantur, id tamen tantum abest, vt affirmatiuæ opinionis assertoribus subueniat, vt etiam negantium

sententiam apertissimè adiuuet & confirmet, dum hoc vnicè agunt & volunt, vt facultates sacræ, vsibus sacris conseruentur, & vel ad captiuos redimendos, vel ad pauperes alendos, vel ad fideles & veros veri Dei ministros sustentandos, vel ad scholas pias erigendas, vel ad Scholares & studiosos iuuandos erogentur & impendantur.

Summum impietatis crimen est bona Ecclesiæ laicos in suos vsus conuertere.

Ac quemadmodum misericordiæ magnæ opus eximium, id est, sic viceversa res Ecclesiæ in proprios vsus tantùm conferre summum impietatis crimen coniunctum habet, Ambros. *lib.* 2. *offic.c.*28. Et quam hoc casu prætexunt operam & sumptuum impensam, certè ad prophanationem & appropriationem rerum sacrarum excusandã & palliandam, prorsus inidoneam esse res ipsa probat, cum pro vera religione asserenda & tuenda, mandatum Dei singulos & cumprimis Principes & terrarum Dominos, velut Ecclesiæ nutricios obliget, & non facultates tantum impendere, sed & sanguinem si necesse sit, effundere iubeat, Philip. Melanth. *in Euangelio, quod Dominica Palmarum recitari solet, p* 324. Quin & non soli Principes, sed subditi quoque, & quidem maiore cum periculo, rem eam aggressi sunt, & expediuerunt, vt interim prætercam, si quid eo nomine impensum sit, id designari prius & probari, & tum quod impensum esse demonstratur, ex reditibus Ecclesiasticis compensatione ac proportione iusta præcipi, & reliqua in pauperes erogari oportuerit. Ad eundem modum tutelam & custodiam publicam non suo, sed publico sumptu Domini superiores administrant, & præstant, ac præterea pro tutela & custodia ea pensiones publicas rebus sacris & Ecclesiasticis licitè imponunt & iure exigunt, vt sanè res ipsas Deo & Ecclesiæ dicatas inuadere non fuerit necessum, imò boni pastoris & principis officio, qui tondere pecus non deglubere solet, è diametro contrarium.

Intellectus l. Omnia. Cod. de Paganis.

Neque est, quod quisquam opinetur, prouinciarum Præsides Honorij & Theodosij autoritate atque exemplo res Deo & sacris mancipatas, nexu eo soluere & fisco, Cameræq; suæ iure

iure vindicare posse. Tantum siquidem abest, vt id optimi Imperatores velint, vt etiam in fine rescripti sui nominatim sanciant, semel sacrata vero Deo, prophanari, aut in fiscum redigi nequaquam debere.

Exordium autem rescripti disertè agit de falsis Dijs, idolis, templis & donarijs gentilium, non Deo, sed dæmonio consecratis, quæ perindè habentur, ac si consecrata nunquam essent, ideoque ab illis ad Ecclesias veras superstitionibus tantum & traditionibus humanis commaculatas, & inquinatas arguere fas non est, Philip. Melanth. *in explicat. cap. 5. Daniel. art.* 4. Matth. Wesenb. *consil.* 37: Nam & Rachel patri suo Laban idola aurea eripuit; *Genes. cap.* 31 *&* 37: Israëlitæ terram promissam occupantes Sacra gentilia sui fecerunt dominij, & eius rei præterea mandatum à Deo expressum habuerunt, imò res magnas ac pretiosas, in honorem Dei & cultus diuinos, atque vsus pios summa alacritate & consensione expenderunt, vt tali quoque prætextu terrarum Rectores adiuuari & excusari nequeant, sed potius imitatione illorum, quos in Exemplum citant, ex occupatis rebus Ecclesiasticis, Deo, Ecclesiæ & pauperibus largiter benefacere teneantur. Et si exemplis res hæc illustranda & decidenda sit, quis est, qui ignoret, Balthasarem regem Babylonicum cum vasa aurea & argentea, quæ pater ipsius Nabuchodonosor ex templo Hierosolymitano abstulerat, proferri, & helluationi dicari iuberet, istius sacrilegij sui, cum blasphemia coniuncti, pœnas præsentissimas & grauissimas dedisse, & vasorum sacrorum abusu, vitæ ac lucis vsum amisisse, & vt Babylone capta, Chaldeorum & Assyriorum Monarchia ad Medos, & Persas transferretur, impietate sua effecisse & procurasse. Exemplum Balthasaris regis Babyloniæ.

Quis est, qui in memoria non habeat, vel saltem reuocare sibi in mentem non statim queat, Regis Ioæ exemplum contrarium, qui collationibus & donis piorum templum Dei instaurans, id quod ex pecunijs largiter erogatis reliquum fuit, pro domo Domini & pro ministerio diuino in vasa au- Exemplum regis Ioæ.

rea & argentea expendit, & Dei auxilium longo tempore, & præsertim, quoad Ioiadæ sacerdotis consilio vteretur, eiusque monita sequeretur, sensit & expertus est, 2.*Paralip.c.*24. Quorum exemplorum alterum pœnæ atrocitate, alterum præmiorum expectatione Principum, aliorumque, qui prædia & reditus Dei & pauperum possident, commouere, & ad meliorem mentem incitare, & ad eorum, quæ vel propria, vel præfectorum & ministrorum arte & opera quoquo modo ablata vel interuersa sunt, largam, spontaneam & hilarem restitutionem inflectere certè debebat. Quin & Dei zelum pro rebus sacris in sui natura conseruandis tanto maiorem

Tragica exẽpla Ethnicorum.

ex eo obseruare, licet quod ipsos quoq; Ethnicos, qui res Idolis suis, quantumuis blasphemè consecratas rapuerant, seuerissimis ac durissimis supplicijs subegerit, & in tragicos ac horribiles exitus præcipitauerit, non quod Iehoua Deus simulacrorum & Idolorum istorum curam ageret, quem omne omnino sculptile abominari, compertum & literis Sacris contestatum habemus, sed vt innotesceret, quia Idolorum eorum violatores ob numinis sui falsi contemptum punirentur, duriore plaga coërcendos esse qui neglecta & contempta vera religione rebus sacris manus inijcerent, Docet id tragicum

Exemplum regis Cambysis.

exitium Regis Cambysis, qui eodem ferro, quo Apim in Ægypto violarat, consumptus est, & ingens præterea illa hominum manus, quam ad templum Amonis diripiendum miserat, subita ventorum tempestate & arenarum cumulis euersa ac deleta. Docet historia Phocensium, qui propter Delphi-

Exemplum Phocensium

cum templum spoliatum, partim de rupe seipsos præcipites dederunt, partim suspensi, partim fulmine icti, partim deniq; igne absumpti sunt, refert Victorin. Strigel. *lib.*2.*Paralip. c.*24

Exemplum Cipionis.

Docet Exemplum Q. Cipionis eiusque comitum, qui cum oppidum Tholossanum diripuissent, multumque auri ex oppidi eius templis eripuissent, quisquis ex ea direptione aurum attigit, miserrimo cruciabilique exitu periit, ita vt res postea in

Prouerbium

prouerbium abierit: Aurum habet Tholossanum, dictum in

cos

eos qui exitiosis & fatalibus afficiuntur malis, & velut noua, insperata; ac miraculosa calamitate prægrauantur. Erasmus in chiliadib. Et ne longius oratio abeat, consideremus quæso horrendi illius & cunctis mortalibus inuisi monstri Iuliani, qui ex Christiano prophanus apostata factus est, exitum admodum tragicum & exitialem. Nam is postquam edicta sua contra Dei templa impiè publicasset, & pecunias sacras ad donaria animo & facto sacrilego rapuisset, Ecclesiarum annonam Sacerdotibus ademptam dæmoniorum ministris perfidè adscripsisset, & tandem aduersarium se immani, sed inani conatu in Saluatorem nostrum intenderet, telo mortifero ictus scelerata manu sanguinis sui nefarij partem compressit, & vocem blasphemam ac diabolicā in Redemptoris nostri contemptum: Vicisti tandem ô Galilææ: furibunda mente emittens, ex terra hac, cuius inutile pondus fuerat, in orcum detrusus atque delapsus est. Neque est, quod quisquam sibi adblandiatur & Iuliani facinus ob nimiam eius atrocitatem cum hisce nostris moribus conferri non posse arbitretur, & præterea pacificationis publicæ titulum possessioni suæ pro velamine prætexat. Etsi enim non nego, esse gradus facinorum, quibus pœnæ iusta proportione commensurandæ sint, tamen Sol ille iustitiæ talibus effugijs non deluditur, sed sibi contraria siue delinquentes superlatiui, siue positiui, siue summi, siue imi gradus sint, vindicibus flammis delet. Non ignoro possessores hodiernos, vel titulum pro herede vel titulum pro diuiso, siue ex diuisione, possessioni suæ prætexere, sed colorem eum potius, quàm titulum esse, res ipsa ostendit, cum titulus pro herede, vel pro diuiso, ita demum iustus sit & legitimus, si non ei titulus pro possessore iniustus hæreat, & quasi iniunctus sit. *l. nec vllam. §. 1. D. de petit. hæred.*

Exemplum Iuliani Apostatæ.

Quocirca cum in negotio, quod tractamus, titulo hereditatis vel diuisionis, qui prætenditur titulus pro possessore, qui ex occupatione rebus Ecclesiasticis iniectus est, cohæreat, nemo negare possit quin bonorum Ecclesiasticorum defen-

sores

ſores titulis iſtis fruſtra initiantur. Sed nec color ex titulo pacificationis publicæ quæſitus, detentatoribus iſtis ſubuenire, & opem ferre poſſit. Nam præterquam quod pacificationem eam ad illa bona, quæ iſto tempore occupata erant, ſolummodo pertinere, & ad res, quæ poſtea & hodie quaqua occaſione prophanatæ ſunt, & inuaduntur, minimè extendi poſſe certum eſt, ſcimus quoque pacem religionis factam eſſe non vt Eccleſiæ & pauperes rebus ſuis ſpoliarentur ac fraudarentur, ſed, vt pax publica in Imperio conſeruaretur, & vt Pontificijs res Eccleſiæ olim dicatas repetendi, & in abuſu antiquo detinendi, facultas ac poteſtas omnis eriperetur & abſcinderetur. Tantum verò abeſt, vt pacificationis eius titulo ſuperiores Domini, res Deo & pauperibus deſtinatas, ſibi vindicare poſſint, vt etiam ob victoriam contra Pontificios ſolius Dei gratuito beneficio obtentam, & hactenus mirando ipſius conſilio conſeruatam, non ſolùm ex præda capta, ſed & ex proprijs facultatibus veram religionem reſtaurare, Eccleſiam ac rempublicam ſanctis ac ſalutaribus legibus & ſacerdotibus ac miniſtris inſtructam conſtituere & ordinare, & in eo Regum piorum exempla ſequi, *Daniel.c.*6. ac res è ſeruitute & calamitate papiſtica liberatas, Deo & vſibus pijs conſecrare, atq; iſto modo, à Iehoua, ſecundùm ipſius promiſſionem, qua glorificantes ſe, glorificatum iri affirmat, remuneratione & compenſationem operæ & induſtriæ præſtitæ expectare debuerint.

Tenor pacificationis Religionis.

Nec vi pacificationis Religionis licet res Eccleſiæ in prophanos vſus conuertere.

Verum habuerunt nonnulli (abſit enim vt de Principibus & Prouinciarum Rectoribus pijs, qui conſcientiam rectè factorum habent hæc accipi velim) manus oculatas, quæ quod videbant & præhendebant, id facilius credere poterant, rem magnam ſibi ac poſteris ſuis vtilem feciſſe ſe opinati. Quid verò accidit? Quemadmodum quod ex bonis priuatorum non capit Chriſtus, id rapit Fiſcus, ſic ex bonis illis ſacris in patrimonium publicum conuerſis quod non capit Chriſtus, id rapit luxus. Longè diuinior Imperatori Tiberio II. mens & voluntas fuit, qui cum reprehenderetur. Quod ærarium publi-

Quinam vero illi ſunt?

NB. In qualesnam pios vſus Proteſtantes conuerterint bona Eccleſiæ.

publicum nimia liberalitate in pauperes & egenos exhauriret, hanc vocem emisit: *Nunquam defutura est regio Fisco pecunia, quam diu pauperes Eleemosynas accipient.* Neque defuit euentus cum paulò post thesauri ingentes, terra defossi, ei sint patefacti. Phil. Melanth. *in Explicat. Psal* 112. Sic de Theodosio Ambrosius inquit: Dilexi virum, qui etiam cum corpore solueretur, magis de statu Ecclesiæ, quàm de rebus suis angebatur. Denique Iustinianus noster scribit, in Ecclesijs sanctissimis optimam mensuram esse, donatarum eis rerum immensitatem. *Nouell. 7. cap. 2. de non alienand. reb. Eccles.* Quare non immeritò Hieronymus Schurffius vir, vt D. Philippus eam appellat, sapiens, grauissimus & grauissimè iudicans, pro rebus sacris & pauperum contra terrarum Dominos semper & perpetuo de iure respondit, atque Ribaldos nostri temporis, qui à Principibus res Ecclesiarum sibi attribui & appropriari petunt, in Deum, naturam & omne ius peccare arbitratus est. Sed & elegantissimus Vldricus Zasius, Non sunt, inquit, tuti, qui Ecclesiastica ædificia & bona occuparunt, neq; in foro contentioso & multò minimè in foro conscientiæ; denique Dn. Matthæus Wesenbecius Sacra dicit prophana fieri non possunt neque debent. Quæ cum sint in nullius bonis & diuini Iuris, quo, malum, Sacrilegio Deo auferuntur & Ecclesiæ. Ex his ita in vtramque partem disputatis liquere potest, etsi bona, quæ Pontificij per Simoniam vel quam similem artem in suam potestatem redegerant, quæq; politicam administrationem requirunt, superiores terrarum Domini non iniuria ad se transtulerint, dummodo inde Ecclesijs & Scholis liberaliter prospiciant. Phil. Melanth. *cap. 5. Daniel.* tamen res Deo, Ecclesiæ & pauperibus directo & præcisè consecratas à laicis Possessoribus malè vtiq; possideri, & optandum esse, vt restituerentur. Sed non est, quo iudice repetantur. Dies ergo Domini id vti & alia, iudicabit. Libet enim cum D. Augustino ad hunc modum propositam quæstionem finire & claudere, c. quid dicam. 14. quæst. 4. E. C.

Exemplum Theodosij Imperat.

Commēdatio Schurffij.

Dictū Zasij.

Conclusio.

VIII.

Henricus Andreas Cranius, quondam Helmstadiensis Professor Iuris, religione Lutheranus, in tractat. de Pace Religionis. Problemate 5.

BOna Ecclesiastica, veluti Monasteria, Cœnobia, Collegia, & alia id genus bona sacra, à tempore transactionis Passauiensis initæ, occupata, & ad pios vsus conuersa, ad Augustanæ Confessionis Status pertinere, dictum est in præcedentibus connexis: cuius occasione hic quæritur, nec inutiliter inquiritur; Vtrum bona Deo semel dicata (hoc est, Ecclesiæ, & sacris vsibus, atque pauperibus olim destinata) deficiente vsu, ad quem ab initio data sunt, ad formam patrimonialium & feudaliũ redigi, & à Laicis iustè possideri possint?

Negatiua sententia communi Dd. saniorum calculo recepta est, & omni iure verior, quam etiam nouissimè propugnauit pio zelo, nec non rationibus vrgentissimis, ICtus longè celeberrimus Dn. Ernestus Cothmann. in Consilio suo 100. *pag. m.* 358. vbi hanc quæstionem illustrem vocat & arduam, moribus & temporibus nostris conuenientissimam. Matth. VVesenb. *consil.* 37. Hieron. Schurff. *cent.* 1. *consil* 48.

Nititur hæc negatiua subseqq. rationibus. I. Text. Iuris Canonici in *c. Benè quidem.* 1. *ibi: ne vnquam prædium, seu rusticum, seu vrbanum, vel ornamenta, aut ministeria Ecclesiarum, &c. & ibi.: iniquum est enim & Sacrilegij instar, vt quæ vel pro salute, vel pro requie animarum suarum vnusquisque venerabili Ecclesiæ, pauperum causâ contulerit, aut certè reliquerit, ab his, quos hæc maximè seruare conuenerat, in alterum transferatur, &c. 96. distinct. c. Sacrilegium. 4. c. Omnes. 5. caus. 17. q. 4.* Ex quibus textibus constat, res Deo & pauperibus nuncupatas, siue destinatas, sub fulmine anathematis, excommunicationis

tionis & Banni, atque sub pœna Sacrilegij, & restitutione tri- pli eorum, quæ ablata sunt, à Laicorum iurisdictione, pote- state & possessione simpliciter, ac præcisè exemptas esse. Et hæc rebus sacratis iniecta qualitas, talem illis indidit; & quasi insculpsit naturam, vt eam nunquam deponere, nec ad pri- stinam redire naturam & primæuam suam recipere condi- tionem possint: nisi si quem casum aduersamque fortunam audaci alicuius spiritu & mente sacrilegâ experiantur, quod expectari neque ciuile, neque naturale est; sed tantum de fa- cto sit, & si rerum naturam intueamur, impossibile est, *arg. l. inter stipulantem.* 83. § *sacram vel religiosam rem.* 5. *de verbor. obligat.* vt grauiter respondit Dn. Ern. Cothmann. *d. consf.* 100. *n.* 22. *& seqq.* Res Deo & pauperibus dicatæ, nunquã possunt ad pristinam redire naturam.

II. Et hinc est, quòd etiamsi maximè quis bonâ fide rem sa- cram possederit; non tamen illi vsucapio vllo tempore pro- cedat. §. *Sed aliquando.* 1. *Inst. de vsucap. & ibi Interpp.* Res sacra vsucapi, siue præscribi non potest.

III. Accedit Ius diuinum, *Exod. c.* 30. *Matth.* 23. *v.* 17. vbi Iehoua tabernaculum fieri iubens, res quoque peculiares tem- plo consecrari voluit; & Saluator CHRISTVS aurum tem- plo sanctificari dicit. Vnde non obscurè colligitur, regulam illam verissimam esse, quâ dicitur, illud, quod semel DEO dicatum, ad vsus humanos amplius transferri non posse. Imò tantum abest, vt rebus sacratis abuti liceat, vt etiam non nisi certis personis, certo & præscripto modo ijs vti permissũ sit. Quod semel Deo dicatũ est, ad vsus humanos amplius transferri non potest.

IV. Exemplis hæc res illustranda, quibus nobis ob ocu- los ponitur, grauissimâ pœnâ coërcendos esse, qui rebus sa- cris manus inijciunt. (1) Exemplum habemus *in Q. Cipione* eiusq; Comitibus, qui cum oppidum Tolossanum diripuissent, multumque auri ex oppidi eius templis eripuissent, quisquis ex ea direptione aurum attigit, miserrimo, cruciabiliq; exitu perijt, ita vt res postea in prouerbium abierit: Aurum habet Tolossanum, dictum in eos, qui exitiosis & fatalibus afficiun- tur malis, & velut nouâ, insperatâ, ac miraculosâ calamitate prægrauantur. *Erasm. in Chiliad.* Docet (2) idem tragicum Exempla illorum qui res sacras inuaserunt. Aurum Tolossanum.

Exemplum Regis Cambysis. exitium regis *Cambysis*, qui eodem ferro, quo Apim in Ægypto violârat, consumptus est, & ingens præterea illa hominum manus, quam ad templum Amonis diripiendum miserat, subitâ ventorum tempestate & arenarum cumulis euersa ac deleta, vt ex hist. refert Dn. Cothman. *d. loc. num.* 39.

Exemplum Phocensium Idem (3) docet Historia *Phocensium*, qui propter Delphicum templum spoliatum, partim de rupe seipsos præcipites dederunt, partim suspensi, partim fulmine icti, partim deniq; igni absumpti sunt. Victorin. Strigel. *lib. 2. Paralip. c.* 24. Dn. Cothmann. *d. loc. n.* 40.

Responsum S. Ambrosij. V. Probatur vlterius exemplo D. Ambrosij Episcopi, qui Basilicam quandam Imperatori tradere iussus (quasi in eius potestate essent omnia) animo forti & plusquàm masculo respondit: *Nec mihi fas est* (inquit) *tradere; nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domum priuati nullo potes iure temerare, Domum autem* DEI *existimas auferendam? Noli te grauare Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si diutius vis imperare, esto* DEO *subditus: scriptum est; Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent; ad Sacerdotem Ecclesiæ: publicorum illis mœnium ius commissum est, non sacrorum. Epist.* 33. *Canonizata. in c. conuenior ipse* 21. *vers. Allegatur, Imperatori licere omnia, &c.* & passim *caus.* 23. *q* 8. Hieron. Schurff. *d. consil.* 48. *n* 6. Cothman. *d. consil.* 100. *n.* 20. Et sicut ipsa Ecclesia Religionis & Fidei mater perpetua est; ita eius patrimonium iugiter seruandum esse illæsum, grauiter rescripserunt Imperatores Leo & Athemius.

VI. Hinc Marcus Tullius *(in orat. de resp. in aruspic.)* Nihil, inquit, Mortales à Dijs immortalibus vsucapere posse. Quod etiam in bonis Ecclesiasticis obtinere, vt in ijs vsucapio nullo tempore procedat, &c. ostenditur ad obiectionem 3. Idem obtinet in rebus pauperibus consecratis: imò sæpè res sacræ in pauperum egestatem, vt & in redemptionem captiuorum, aliasque id genus calamitates piè rectèq; expenduntur, conferun-

feruntur que. Vnde tamen affirmatiuæ opinionis assertoribus non licet concludere, res sacras pro libitu alienari, & in prophanos vsus conuerti posse. Nam tunc maximè bona Ecclesiæ vsibus sacris conseruantur, siue ad pios vsus transferuntur, quandó vel ad pauperes alendos, vel ad captiuos redimẽdos, vel ad fideles Ecclesiæ ministros sustentandos, scholas pias erigendas, vel ad scholares & studiosos diligentes iuuandos erogantur, & impenduntur, teste Dn. Cothman. *n*.29. Huc facit exemplum Imp. Tiberij II. qui cùm reprehenderetur, quòd ærarium publicum nimia liberalitate in pauperes & egenos exhauriret, dixisse fertur: Nunquam defutura est regio fisco pecunia, quam diu pauperes Eleemosinas accipient. Neque defuit euentus, cùm paulò post thesauri ingentes, terra defossi, ei sint patefacti. Phil. Melanth. *in explic. Psal.* 112. Tiberij Imp. dictum.

Notanda quoque hic egregia ac pia sententia D. Ambrosij, *lib.* 2. *offic. c.*28. Quemadmodum (ait) misericordiæ magnæ opus eximium est; sic viceversa res Ecclesiæ in proprios vsus tantum conferre summum impietatis crimen habet. Adde Iustin. *Nouell.* 7. *de non alienand. reb. Eccles.* Ex quibus omnibus iam rectè concludo, prædicta bona Ecclesiastica, & in specie quoque ea, quæ ante transactionem Passauianam in manus Protestantium peruenerunt, exemptas esse ab omni iurisdictione Potestatum secularium, cuiuscunque dignitatis, etiam Imperialis: nec Prælatos bona Ecclesiarum, vel Monasteriorum (etiamsi eorum desinet vsus, ad quem ab initio deputata sunt) quibus ipsi tantum præsunt, non posse tradere Dominis secularibus, vt pluribus idem euincit. Hier. Schurff. *d. consil.* 48 *per tot.* Sententia S. Ambrosij. Concluditur, bona Ecclesiæ, etiam cessante illorum vsu, nõ posse à secularib. occupari.

Contraria Sententia suos quoque habet defensores, qui bona Ecclesiæ in formam rerum patrimonialium redacta Laicorum arbitrio, dispositioni & vsui subijciunt; sed quo iure, quove prætextu id faciant, planè non video. Audiamus eorum rationes.

Potissimùm mouentur. I. textu *l. omnia loca.* 5. *de paganis* Obiectio I.

 & sa-

& sacrif. & templis. vbi Impp. Honorius & Theodosius, discertè rescripserunt, omnia loca, quæ sacris error veterum deputauit, rei suæ dominicæ sociari debere. Vnde concludi posse videtur, ex eadem ratione, res Ecclesiasticas, quæ non solum errore, sed & falsâ, callidaq; Papicularum persuasione, ac stultâ possessorum credulitate & superstitione aliquâ, sacris consecratæ sunt, Prouinciarum Dominis deberi: & sic Protestantes siue Augustanæ Confessionis Status, non obstante constitutione Religionis, bona illa Ecclesiastica, quæ ante pacificationem Passauiensem, in illorum manus peruenerunt, ad formam patrimonialium redigere posse.

Responsio. Ad antecedens respondetur, rescriptum illud Honorij & Theodosij in d. l. omnia. 5. agere de falsis Dijs, Idolis, & templis Gentilium, non Deo, sed dæmonijs consecratis, quæ perinde habentur, ac si nunquam essent consecrata, vide locum D. Pauli, 1. *Corinth.* 10. *vers.* 20. Ideoque d. rescriptum non rectè extenditur ad bona Ecclesiarum (licet superstitionibus & traditionibus humanis commaculatarum & inquinatarum) veroq; Deo semel consecrata, §. *Sacræ res.* 8. *Inst. de rer. diuis.* Phil. Melanth. *in explic. cap.* 5. *Daniel. art.* 4. Matth. Wesenb. *d. consil.* 37. *n.* 11. Ern. Cothman. *d. loc. num.* 34. & vsibus pauperum deputata, *l. sancimus.* 18. *& passim. C. de SS. Eccles.* Destructo itaque antecedente, falsum quoque est consequens: Nam

Scilicet. licèt eiusmodi res in Papatu, errore & superstitione aliquâ, Ecclesijs dicatæ & consecratæ sint, & insuper à possessoribus antiquis spurcitie & libidine inquinatæ, Imò vi, clam, aut precario inuasæ ac possessæ sint; Exinde tamen non rectè infertur, illas res pro merè prophanis habendas esse, ac proinde in vsus planè prophanos conuerti posse: Quin potius superstitione expiatâ in vsus pios, quibus consecratæ erant, rursus redigantur. *arg. c. semel.* 51. *de R. I. in* 6. Dn. Ern. Cothm. *d. loc. num.* 24. Exemplo Modestini ICti, qui consultus super illo casu, vbi legatum ciuitati relictum erat, vt ex reditibus quotannis in ea ciuitate memoriæ defuncti conseruandæ causâ spectacu-

ctaculum celebraretur, quod tamen eo in loco celebrare non licebat, respondit, legatum illud in aliud & quidem licitum genus celebrandi memoriam defuncti deputandum esse.

II. Sed regerunt hic bonorum Ecclesiasticorum possessores, quòd res Ecclesiæ à maioribus suis sint diuinis vsibus consecratæ. Ergo istis vsibus, tanquam causâ finali, cessantibus, cessat etiam istarum rerum natura adsumpta, & res ad pristinam, siue primæuam suam naturam facilè reuertuntur, *arg l. si vnus.* 27. § *pactus ne peteret.* 2. *ff. de pact.* Quod vlterius sic declaro: In omnibus negotijs, tum verò inprimis in vltimis voluntatibus & donationibus, per quas pleræque res Ecclesijs relictæ sunt, videndum est, quæ fuerit testatoris vel donatoris intentio, quæ affectio, quævè opinio, quale in largiendo propositum, & quæ causa, denique quæ ex his consequentia, quævè cum ijs consentanea sint, vt eleg. tradit Ern. Cothman. *d. loc. n.* 5. Iam autem constat, testatores, vel donatores facultates suas sub hac conditione, si in vsus pios conferrentur, Ecclesiæ relictas fuisse. Ergo hâc causâ finali, quæ donationis factæ rectrix fuit, cessante, vel vanâ existente, ipsas quoque largitiones expirare, & quod relictum est, heredum lucro cedere, consequens est, per text. *l. paterfamilias.* 38. § *fideicommisit.* 6. *ff. de legat.* 3. *l. liberta suo.* 21. § *Lucius.* 3. *ff. de annuis legat.* Obiectio 2.

R. Ex eo, quòd res Ecclesiæ à maioribus ad pios vsus consecratæ sunt, vitiosè, infertur, easdem pro libitu, vero vsu cessante, repeti & occupari posse. Nam tempore fundationis heredibus & successoribus nil quicquam reseruatum est, sed omne ius abdicatum & vsui sacro dicatum & mancipatum, ac proinde successores in æternum exclusi, *c. præterea.* 23. vbi Abbas *n.* 3. *extr. de iur. patron.* Wesenb. *d. cons.* 37. *num.* 9. Ern. Cothman. *d. cons.* 100. *n.* 26. Cum tamen Principes & Status Augustanæ Confessioni in verbo Dei firmiter fundatæ addicti, rem piam ac præclaram fecerint, quòd possessores vitiosos, è possessione vitiosâ detruserint; non immeritò illis ius patro-

Responsio.

Fundatorũ successores nõ possunt, prætextu alicuius abusus, bona Ecclesiæ consecrata repetere, vel occupare.

patronatus in res à Tyrannide ac libidine possessorum iniustorum liberatas ac vindicatas attribuitur. Bald. *in c. quantò. 3. num. 5. & 6. extr. de iudic.* Cothm. *d. l. n.* 27. minimè verò illis potestas datur bona illa sibi habendi & appropriandi. Paris de Puteo *de Syndicat. sub rubr. de princip. excessib num.* 55.

Obiectio 3. III. Attamen (ais) res Ecclesiæ præscriptione quadragenariâ vel centenariâ à Laicis rectè acquiri, ipsi Canones statuunt. Ergo dicendum videtur bona Ecclesiastica à Statibus Augustanæ Confessionis occupata, à Laicorum commercio nequaquam esse exempta, sed tam quoad vsum, quàm quoad possessionem (sine hac enim præscriptionem non procedere certi iuris est) laicis patere.

Responsio. Antecedens tantum procedit in facultatibus Ecclesiæ temporalibus & in commercio existentibus. Gloss. *in c. semel.* 51. *in pr. extr. de Reg. Iur. in* 6. & ibi P. Peck. *n.* 7. Secus est in rebus Deo Sacris & pauperibus consecratis: in his enim præscriptio neque inchoari, neque decurrere, neque compleri certo certius est; cùm rei vitium ex occupatione & inuasione violentâ iniectum, fides quoque mala, reique sacræ scientia, cursum præscriptionis impediant. P. Peck. *d. loc.* & Dn. Cothm. *d. consf.* 100. *n.* 28.

Obiectio 4. IV. Obijci posset, quòd bona illa Ecclesiastica non tantum territorijs Dominorum sint conclusa, sed etiam à Dominis illis terrarum hodiernis iustè possideantur; cùm titulus pro herede, vel pro diuiso, legitimus & canonicus sit.

Responsio. R. Frustra possessores hodiernos eiusmodi titulum prætexere, cùm eum potius colorem, quàm titulum esse, res ipsa ostendat, cordatè rectèq; respondit Dn Cothman. *d. loc. nu.* 44. Schurff. *d. loc.* Nam titulus pro herede vel pro diuiso tum demum iustus est & legitimus, si non ei titulus pro possessore iniustus cohæreat, & quasi iniunctus sit. *l. nec vllam.* 13. §. 1. *ff. de hered. petit.* Atqui in præsenti casu, titulo hereditatis vel diuisionis, qui prætenditur, coheredet titulus pro possessore iniustus, qui ex occupatione rebus Ecclesiasticis iniectus est.

Ergo

Ergo titulus iste, quem hic prætendunt Domini terrarum, iniustus est. Nec ipsos iuuat; quòd bona illa Ecclesiastica in ipsorum territorijs sita sint: Paria enim sunt, locum non esse situm in território, vel exemptum esse. *c. cum episcopus de offic. iud. ord. in* 6. Wesenb. *d. conf.* 37. *n.* 10. Neque censetur pars iure totius, vbi diuersa patet ratio Nec. Euerhard. *in top. legali, n loco, à toto.* Tiraq. *de retract prox* § .1. *gl* 7 *n.* 45. *per l. cum de in debito* 25. *vbi* Salic. Bald 4. *not ff. de probat. eleg.* Schurff. *d. cons.* 48. *in pr. nu.* 1. 2. *& cons.* 44. *n.* 1. *cent.* 1. *de immunitatibus Eccles.* Quid iuris habeant in rebus Eccles. Prælati & Administratores Ecclesiæ, vide VVesenb *d. lo. n.* 12. 13. 14.

V. Denique mouere quis posset, quòd in Comitijs Spirensibus, Anno 1544. & in conuentu Augustano, de Anno 1555 & rursus in Comitijs Spiræ habitis, de Anno 1557. & tandem in communi omnium S. Imperij ordinum Concilio Augustano, de Anno 1566. & Ratisbonensi, de Anno 1576. Imperator vnà cum Statibus Imperij, vtriusque Religionis asseclas paribus priuilegijs donârit, & Augustanæ Confessioni addictis potestatem dederit ius peculiares Constitutiones faciendi, resque suas, prout tunc posside bant, retinendis, & vt in ijs Pontificia iurisdictio in posterum quiesceret, publica lege constituerit. *vide Const. Relig.* §. 19. Dieweil aber etliche Stände/ vers. So sollen auch solche eingezogene Gütter ꝛc. ibi. vnnd bey der verordnung/ wie es ein jeder Standt mit obberührten eingezogenen/ vnnd albereit verwehnten Güttern gemacht/ gelassen werden ꝛc. *Adde* §. 15. vnd damit solcher Fried ꝛc. *&* §. 20. damit auch obberührte beyderseits Religionsverwante ꝛc. ibi. so sol die Geistliche Iurisdiction, &c. wider der Augspurgischer Confession, Religion &c. Ordnungen/ Ceremonien/ so sie auffgerichtet/ oder (notetur) auffrichten möchten/ biß zu endlicher vergleichung ruhen eingestelt/ suspendirt sein vnd pleiben ꝛc. Ex quibus textibus inferendum videtur, Status Imperij seculares, bona Ecclesiastica, quæ ante transactionem Passauiensem ab ipsis occupata sunt, posse in formam patrimonialium redigere. Obiect. 5.

Responsio Resp. Ad hanc obiectionem facilè responderi potest, ex ipsa alleg. Const. Relig. quæ auream hanc pacem religiosam non ideo induxit, ac confirmauit, vt Ecclesiæ & pauperes rebus suis spoliarentur, ac fraudarentur; sed vt Pontificijs res Ecclesiæ olim dicatas repetendi, & in abusu antiquo detinendi, potestas omnis eriperetur & abscinderetur. *vide hic Dn. Cothom. d. loc. n. 45. & seq.*

IX.

Responsum Ictorum Tubingensium.

Status controversiæ. ES würdet gefragt: Wann von einem der Augßpurgischen Confession zugethanem Fürsten/ vor dē Paßawischen vertrag/ vnd Religion Frieden/ einige Clöster vnd Geistliche güter reformirt, vnd doch hernach post reformationem das Interim eingeführt/ vnnd biß nach auffgerichtem Paßawischen vergleich/ vnnd Religion Frieden/ darin gedüldet/ folgends aber/ nach erfolgten beyden pacificationen, das Interim widerumb abgeschafft/ auch die Clöster vnd Gütter in die jenige Euangelische Reformation, darinnen sie sich vor dem introducirten Interim befunden/ restituirt, Ob solche Clöster vnd Stifft nunmehr darfür anzusehen vnd zuhalten/ daß sie vor oder nach dem Paßawischem vertrag eingezogen worden?

Demnach der Durchleuchtig/ Hochgebohrn Fürst vnd Herr Herr Ludwig Friedrich/ Hertzog zu Württenberg vnd Teeck 2c. Graaff zu Montpelgart/ Herr zu Heydenheim 2c. diß Hertzogthumbs Würtenberg Administrator &c. Vnser Gnediger Fürst vnd Herr/ an vns in gnaden gemuhtet/ daß wir hiervor gesetzte Quæstionem mit allem fleiß considériren/ vnd reifflich wol erwögen/ auch nachgehendts hocherwehnter Jhrer Fürstl. Gnad. hindan gesetzet allen affects/ vnser darüber befundene gedancken/ vnd rathsames guttachten/ ohnuerlängt in vnderthänigkeit eröffnen sollen. Als haben wir dieser frag müglichstes fleisses nachgesonnen/

konnen/ vnd angeregte Quæstion dahin vermerckt/ zum fall der in dem Religion Frieden sich befindende Paragraphus: Dieweil aber etliche Ständt ꝛc. diesen verstandt haben solte; daß auch die Stifft / Clöster/ vnd andere Geistliche gütter (ohngeachtet sie dem Keys. Röm. Reich nicht immediatè vnderworffen) dannoch erst nach dem Paßawischen vertrag von den Fürsten vnnd Ständen der Augspürgischen Confession Crafft habender Landtsfürstl. Obrigkeit/ nicht eingezogen werden köndten (in massen durch jüngst vulgirte Keyserl. decision von den Catholischen Bischoffen/ Prælaten vnnd Orden behauptet werden wil) ob solche Meynung zugleich auff diese Stifft vnd Clöster zuziehen/ welche lang vor dem Paßawischen vertrag zwahr bereits reformirt gewesen/ aber doch hernacher occasione des Interims, oder wegen des vnglücklich geendeten Schmalkaldischen Kriegs/ iussu Cæsareæ Maiestatis, oder sonsten/ den Catholischen Orden widerumb zuhanden kommen/ auch von selbigen/ tempore Passauiensis Transactionis, dergestalt detinirt oder besessen worden. Welchem noch anietzo allein dieses zuerwegen sein würd / wie die in dem angedeutem §. sich befindende wordt (**deren** possession **die Geistlichen zur zeit deß Paßawischen vertrags/ oder seithero nit gehabt**) von Rechtswegen zuuerstehen seye?

Vnnd nemblich ob darfür zuhalten / daß die Euangelische Ständt / in Crafft vor dem Interim, vñ Schmalkaldischen krieg fürgenommener Reformation, ohnuerhindert / was durch offnen Gewalt / oder Keyserliche verordnung/ hernacher widriges erfolgt / saltem in ciuili possessione dieser von jhnen zuuor reformirten Geistlichen gütter verplieben / also mit bestandt fürgeben können/ daß sie selbige possession, zur zeit deß Paßawischen vertrags/gehabt haben?

Oder/ ob hingegen die Geistliche/Römisch. Catholische Religion, welche / damahlen der Paßawische vertrag abgehandelt worden / Crafft deren / durch anleytung deß Interims/ vnnd Schmalkaldischen kriegs erlangter Restitution, zu jhren Clö-

stern vnnd Güttern wider kommen / de iure fürwenden können / daß sie dazmahlen in sambtlicher Possession deroselben gütter gewesen / welche in mehrangeregtem §. Dieweil aber ꝛc. gemeint vnd verstanden worden.

Rationes dubitandi.

Nun befinden wir sehr starcke rationes, nach welcher anleytung darfür gehalten werden möchte / es sey besagte Restitutio, so die Catholische Geistliche erlangt / vnd deren / zu zeit des Paßawischen vertrags noch gewesen / gar nicht anzusehen / sondern es haben viel mehr die Euangelische Fürsten vnnd Ständt / jhrer / durch erste Reformation, erlangter possession zugeniessen.

I. Dann weil einmahln / der Catholischen fürgeben nach / mehr angeregter §. Dieweil aber ꝛc. diesen verstandt haben soll / daß / wer zu zeit des Paßawischen vertrags / die possession der Geistlichen gütter gehabt / selbige dabey verpleiben vnd gehandthabt werden muß. Als wil es in allweg das ansehen haben / daß die Vocula deren Possession (de cuius interpretatione diß orths der meiste streitt) pro ciuili & legitima possessione, gar nit aber pro detentione naturali, & quæ solum est facti, vermerckt werden könne; Etenim verba prolata à Legum Conditoribus, seu à Iurisperitis intelligi debent secundum interpretationem legalem; secus si ab idiota proferantur, quia tum simpliciter, & prout in idiotam cadunt, intelliguntur, per *not. in l. quod si Nepotes d. test. tutor. l. quoties ff. famil. ercisc. l.* 1. *C. de contrah. & committ. stip.* Roman. *cons.* 32. sed Religionis constitutio non solum ab Imperatore, verùm etiam omnibus Imperij ordinibus, præsentibus tot Iureconsultis, alijsque legum peritis, constituta & approbata est. Igitur verba eius intelligi quoque debent non simpliciter & vulgari modo, sed secundùm Iuris interpretationem, per auctoritates supra laudatas, Constat etiam, quod possessio opponatur detentioni *l* 1. § 8. *ff. quod legator.* Quodque Ciuilis possessio semper animo retineri censeatur, etiamsi quis sit vi deiectus à possesione, vt Iuris est indubitati, *gloss. & ibi Barthol. in l.* 3. § *Eum igitur* 9. *ff. d. vi. & vi armat.*

Daß aber die Euangelische Ständt / non obstante des

Schmal.

